sotto il presente titolo = Scrutinium
Chymicum = si contiene l'opera
di questo autore intitolata = Atalanta
fugiens hoc est Emblemata nova
de secretis Naturae Chymica =
libro assai curioso, raro, ed
assai ricercato di questo autore
£ 15.50.57.

Le figure furono intagliate da
Teodoro de Bry.

Free copy for personal study. The Warburg Institute Digital Collections

x b5c 758
+ 9h 480

Maia.

(2 Hermaphroditen)

Free copy for study purposes only - The Warburg Institute Digital Collections

MICHAELIS MAJERI,

SECRETA NATURÆ

CHYMICA,

NOVA PLANE SUBTILIQUE

METHODO INDAGATA.

Free copy for research purposes only. The Warburg Institute Collections

30/1599

MICHAELIS MAJERI,

Imperial. Consistor. Comit. Med. D. Eq. Ex. &c.

Secretioris Naturæ Secretorum

SCRUTINIUM CHYMICUM,

Per

OCULIS ET INTELLECTUI

accuratè accommodata, figuris cupro appositissimè incisa, ingeniosissima

EMBLEMATA,

Hisque confines, & ad rem egregiè facientes sententias,

Doctissimaque item

EPIGRAMMATA,

ILLUSTRATUM.

Opusculum ingeniis altioribus, & ad majora natis, ob momenta in eo subtilia, augusta, sancta, rara, & alioqui nimium quantum abstrusa, quàm maximè expetitum, desideratum;

Iterata vice amplissimæ Reipublicæ Chymicæ Bono & Emolumento, non sine singulari jucunditate legendum, meditandum intelligendum, dijudicandum,

DEPROMTUM.

FRANCOFURTI,

Impensis GEORGII HEINRICI OEHRLINGII, Bibliopolæ.

Typis JOHANNIS PHILIPPI ANDREÆ.

M, DC, LXXXVII.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

HOminem, Lector candide, Universi compendium sui compositione referre, in confesso est omnium, & ternis vitæ generibus vivendis destinatum esse, nempe vegetabili in utero materno, ubi saltem plantæ instar crescit & augmentatur; sensibili, nimirum in hoc mundo, ubi maxima ex parte sensibus ducitur, ceu reliqua animalia, à quibus differt, quod intellectu incipiat uti, licet imperfectè; ac denique intelligibili, in altero mundo apud Deum, eique assistentes Intelligentias seu Angelos bonos. In præsenti vitâ, quò quis magis ad divinam naturam accedit, eò magis rebus intellectu indagandis, subtilibus, miris & raris, gaudet & delectatur: Et econtrà, quò quis ad pecuinum genus magis declinat, eò minùs his capitur, & sen-

ſui corporaliori aſtrictus eſt : Utrorumque videmus Exempla, quosdam illis, utpote doctiores, artibus & ſcientiis politos eſſe deditos, quàmplurimos hiſce, nempe voluptatibus corporis, libidini, gulæ, pompæ externæ, & his ſimilibus. Ad excolendum autem intellectum Deus infinita arcana abdidit in natura, quæ ſcientiis & artibus innumeris, ut ignis ex ſilice extunduntur, & in uſum transferuntur: Inter hæc ſunt Chymica ſecreta non poſtrema, ſed poſt divinorum indagationem, omnium prima & precioſiſſima, non circumforaneis deceptoribus & fucis Pſeudo-chymicis (qui in his ſunt aſini ad lyram, quippe ab omni bona doctrina & intentione alieniſſimi) ſed ingeniis altioribus, liberaliter educatis, & ad majora natis inveſtiganda, cùm ſint valdè ſubtilia, auguſta, ſacra, rara & abſtruſa, ideoque intellectu comprehendenda priùs, quam ſenſu adpiſcenda, illudque multo potius per contemplationem profundam ex lectione authorum, eorumque inter ſe & cum naturæ operibus comparationem, quàm operationem ſenſitivam, ſeu manualem experimentationem, quæ cœca eſt ſine Theorica prævia. Poſt ſcientias hujusmodi intellectuales proximè numerantur, quæ de viſibili

ac

ac audibili objecto tractant, ut ſunt Optica ſeu perſpectiva, pictura, quæ dicitur à quibusdam Poëtis muta, ut hæc vice versâ, pictura loquens: Hæc duo itaque ſenſuum magis ſpiritualium, nempe viſus, nec non intellectus ipſius objecta, ut in uno quaſi conſpectu & complexu haberemus, & magis intelligendum animis ſimul & ſemel inſinuaremus, En conjunximus ſenſum cum intellectu, hoc eſt, rara viſu cum chymicis emblematibus, quæ huic ſcientiæ ſunt propria. Cæteræ enim artes, ſi Emblemata edant de moribus, aut rebus aliis, quàm de naturæ arcanis, alienum hoc videtur ab eorum ſcopo & fine, cùm intelligi omnibus velint & debeant, Chemia non item, quæ ut caſta virgo per tranſennam, & veluti Diana, non abſq; veſte variati coloris viſenda eſt, propter cauſas alibi expreſſas: hæc, inquam, ficta, poëtica & allegorica, picta, Emblematica, Veneri ſive cupro, non ſine Venere ſeu gratia, inciſa, Chymica ſecretiſſima, intellectu indaganda ſimul & ſemel uno libro ſuſcipias, inque tuum uſum dicata adhibeas, qui ſi potiùs intellectualis fuerit, quàm ſenſulis, eò utilior & jucundior olim futurus eſt: quod ſi verò primum

mum ſenſui mancipatus, nullum eſt dubium ,quin à ſenſu ad intellectum tranſitus fiet, tanquam per oſtium : Nihil enim in intellectu eſſe dicitur,quod non per ſenſum aliquem introiverit, cum hominis recens nati intellectus inſtar tabulæ raſæ habeatur, in qua nihil adhuc ſcriptum , ſed quodlibet ſenſu mediante, tanquam ſtylo , ſcribi poſſit: Et vulgo dicitur; Ignoti nulla cupido, quia oportet, ut intellectui, veluti dictatori & arbitro, ſenſus indagatores & nuncii, omne ſcibile primitus apportent & innoteſcere faciant, tanquam Excubitores ad (ſua organa) civitatis alicujus portas invigilantes. Omnis proinde cordatus & intelligens hanc Emblematicam quaſi figurationem, in his, ut & in diſtichis ſingularem adaptationē boni conſulet & pro nonnihilo reputabit :Si enim mercatores nonnulli pro magna pecuniæ ſumma artificium picturæ aliquod æſtimant & emunt,ubi ſoli oculi falluntur, cùm naturæ propinquiſſimum judicent; quid ni literati has figuras, quæ & intellectui & ſenſibus pluribus inſerviunt ita, ut magna inde ſperanda ſit utilitas præter oblectationem , in precio habeant & magni cenſeant? Vale

Portavit eum ventus in ventre ſuo.



EPIGRAMMA I.

EMbryo ventosâ Boreæ qui clauditur alvo,
Vivus in hanc lucem ſi ſemel ortus erit;
Unus is Heroum cunctos ſuperare labores
Arte, manu, forti corpore, mente, poteſt.
Ne tibi ſit Cæſo, nec abortus inutilis ille,
Non Agrippa, bono ſydere, ſed genitus.

HErmes omnis ſecreti naturalis indagator diligentiſſimus, in tabula ſua ſmaragdina graphicè, licet ſuccinctè, deſcribit opus naturale, ubi inter alia inquit: *Portavit eum ventus in ventre ſuo*, quaſi dicat, Ille, cujus pater eſt Sol, mater verò Luna, antequam in lucem edatur, portabitur à fumis ventoſis, quemadmodum avis ab aëre, dum volat: Ex fumis autem ſeu ventis (qui ſunt nihil aliud, quàm aër motus) coagulatis fit aqua, ex qua cum terra mixta mineralia & metalla omnia: Imò hæc ipſa ex fumis conſtare & coagulari immediatè ſtatuuntur: Sive itaque in aquam ſeu fumum ponatur, eodem res redit, quia utraque venti materia eſt: Idem dicendum de mineralibus & metallis, licet magis remotè. Quæritur autem, quis ille ſit, qui à vento portari debeat? Reſpondeo, *chymicè*, eſt ſulphur, quod portatur in argento vivo, ut Lull. Codicill. cap. 32. teſtatur, cæterique omnes; *Phyſicè*, eſt fœtus, qui mox in lucem naſci debet: Dico & *Arithmeticè*, quod ſit radix Cubi; *Muſicè*, quòd ſit Diſdiapaſon; *Geometricè*, quod ſit punctum lineæ fluentis principium; *Aſtronomicè*, centrum Saturni, Jovis & Martis, planetarum. Hæc licet diverſa ſint ſubjecta, tamen ſi bene inter ſe compatentur, fœtum venti facilè demonſtrabunt, quod cujuslibet induſtriæ majori aut minori relinquendum erit. At rem planiùs ſic indigeto: Omnis Mercurius ex fumis eſt compoſitus, hoc eſt, ex aqua ſublevante terram ſecum in aëriam raritatem, & ex terra cogente aërem redire in aqueam terram ſeu terream aquam: Cùm enim Elementa in eo ſint per omnia, & mixta, & invicem in quandam viſcoſam naturam conculcata & redacta, non facilè ab invicem recedunt, ſed vel volatilia ſequuntur ſuperiùs, vel apud fixa inferiùs manent, quorum primum in vulgari Mercurio, alterum in Philoſophico & metallis fixis apparet: In his Elementa fixa prædominantur volatilibus, in illo volatilia fixis. Nec verò abſq; cauſa eſt, cur Mercurius Deorum reliquorum nuncius, interpres & quaſi miniſter intermedius currens dicatur & habeatur, alis ad caput & pedes adaptatis: Ventoſus enim eſt & volat per aëra, ut ipſe ventus, ut in communi, multorum cum damno re ipſa convincitur

Lull. ibi. portat illum ventus in ventre ſuo, hoc eſt, ſulphur portatur in argento vivo. Et C. 47. Lapis eſt ignis deportatus in ventre aëris.

citur: At quia caduceum geſtet binis ſerpentibus transverſim cinctum, qui animas ex corporibus ducat & reducat, & multa ejusmodi contraria efficiat, Philoſophici Mercurii ſymbolum optimè exprimit. Mercurius itaque eſt ventus, qui ſulfur ſeu Dionyſium, aut, ſi mavis, Æſculapium adhuc imperfectum fœtum ex ventre materno, vel etiam ex cineribus corporis materni combuſti accipiat & portet eò, ubi maturari poſſit; Et Embryo eſt Sulfur, quod à Sole cœleſti *Boreæ* vento infuſum eſt, ut is maturatum pariat, qui geſtationis ſuæ abſoluto tempore gemellos edit, unum albis capillis, Calaim dictum, alterum rubris, Zeten: Hi *Boreæ* filii fuêre (ut *Orpheus* poëta Chymicus ſcribit) apud *Jaſonem* inter Argonautas ad vellus aureum à *Colchis* auferendum: *Phineus* verò vates cœcus ab Harpyjis infeſtatus, liberari non potuit, niſi à dictis *Boreæ* filiis: Pro quo beneficio ab iis impetrato ille gratus *Argonautis* omnem viæ rationem declaravit. At *Harpyjgæ* nihil aliud ſunt, quàm ſulfur corrumpens, quod abigitur à *Boreæ* filiis, cùm ad juſtam ætatem pervenerint, & ex imperfecto ſeu moleſtato à volatilibus noxiis fit perfectum, illi malo non ſubjectum, quod deinde ad vellus aureum *Jaſoni* medico obtinendum viam indicat. Horum ventorum meminit quoq; inter alios *Baſilius noſtras*, qui clarè 6. inquit: *Nam geminus ventus venire debet, Vulturnus dictus, ac deinde ſimplex, Notus appellatus, qui ab oriente & meridie impetuosè ſpirabunt, quorum motione ceſſante, ita ut ex aëre facta ſit aqua, audacter confides, quod ex ſpirituali corporale fiet.* Et *Riplæus* port. 8. dicit in aëre noſtrum infantem debere renaſci, hoc eſt, in ventre venti: Ad eundem ſenſum ſcala philoſ. gradu. 6. Et *ſciendum*, inquit, *quod natus ſapientis in aëre naſcitur*: Et gradu 8. *ſpiritus aërei ſimul in aërem ſcandentes ſe diligunt, ut Hermes* inquit, *portavit illum ventus in ventre ſuo: Quia generatio geniti noſtri fit in aëre & naſcens in aëre ſapienter naſcitur: Aſcendit enim à terra in cœlum, iterumque deſcendit in terram conquirendo vim ſuperiorem & inferiorem.*

EMBLEMA II. *De ſecretis Naturæ.*

Nutrix ejus terra eſt.

EPIGRAMMA II.

ROmulus hirta lupæ preſsiſſe, ſed ubera capræ
Jupiter, & factis, fertur, adeſſe fides:
Quid mirum, teneræ Sapientum *viſcera* Prolis
Si ferimus Terram *lacte nutriſſe ſuos?*
Parvula ſi tantos Heroas beſtia pavit,
Quantus, *cui* Nutrix Terreus Orbis, *erit?*

APUD Peripateticos & rectè judicantes Philoſophos ſtatuitur; quod Nutriens vertatur in ſubſtantiam nutriti, eique aſſimiletur non quidem ante, ſed poſt alterationem ejus, idque veriſſimum Axioma habetur: Quomodo enim nutrienti, quod jam ante ſimile & idem ſit cùm nutrito, opus eſſet mutatione ſuæ eſſentiæ, quæ ſi accideret, non maneret idem nec ſimile; Aut quomodo ea, quæ aſſimilari nutrito nequeunt, pro nutrimento aſſumerentur, ut ſunt ligna, lapides & ejusmodi alia? Primum itaque ut inane, ſic alterum, naturæ adverſum eſt. Lacte autem animalium nutriri hominem recens natum, non alienum eſt à natura: quia aſſimilatio ejus fieri poteſt, at longè facilius materni, quam alterius: Unde medici concludunt, ad ſanitatem, ſimilitudinem ſubſtantiæ & morum nec non robur conferre infanti, ſi propriæ matris lacte ſemper foveatur & educetur, econtra, ſi alieno. Hæc eſt harmonia omnis naturæ, quod ſimile gaudeat ſuo ſimili, ejusque veſtigia imitetur, quãtum poteſt, in omnibus ex tacito quodam conſenſu & conſpiratione. Idem uſu venit in naturali Philoſophorum opere, quod æquè à natura regitur in ſui conformatione, quàm infans ſub utero materno: Et licet pater & mater, ipſaque nutrix illi ſimilitudinariè aſſcribantur, non tamen artificiale eſt magis, quàm animalis cujusque generatio. Semina bina quodam delectabili artificio conjunguntur ab animalibus & utroque ſexu hominis, ex quibus unitis per ſucceſſivam alterationem fit Embryo, qui creſcit & augetur, vitam & motum acquirit, deinde lacte nutritur: Mulier verò conceptionis & imprægnationis tempore in calore, cibo & potu, motu & quiete, aliisque ſe temperatè ut gerat, neceſſe eſt, aliàs abortus ſequetur & concepti fœtus deſtructio, quæ obſervatio in 6. rebus non-naturalibus, quia à medicis ſecundùm artem ſuam præſcribitur, artificialis quoque eſt. Eodem modo ſemina ſi ſint non conjuncta in opere Philoſophico, conjungi debent: Quod ſi verò alicubi conjuncta invenirentur, ut in ovo ſemen galli & gallinæ ſubſtantia habentur ſimul in uno continente, tum eſſet Philoſophorum opus adhuc magis naturale, quàm generatio animaliũ. At demus, ut Philoſophi

teſtantur, quod unum veniat ab oriente & alterum ab occidente, fiantque unum, quid plus adminiſtratur, hiſce, quàm mixtio in ſuo vaſe, calor temperatus & nutrimentum? Vas quidem artificiale eſt, ſed in hoc differentia non committitur, ſive nidus ab ipſa gallina fiat, ſive à ruſtica in certo quodam loco (ut ſolet) ordinetur, eadem erit ovorum generatio & ex illis pullorum excluſio. Calor eſt res naturalis, ſive ab igne temperato veniat furnorum & fimi putredinis, vel ſole & aëre, vel matris viſceribus, aut aliunde: ſic Ægyptus calorem ovis excludendis arte naturalem adminiſtrat per ſuos furnos: Bombycum ſemina, imò & ova gallinacea virginearum mammarum tepore excluſa leguntur: Ars itaque & natura mutuas ſibi manus conferunt, ita ut hæc illius vicaria fiat & illa hujus: Nihilominus Natura manet Domina & ars ancilla. Cur Vero Terra dicatur nutrix Nati Philoſophici, dubium alicui movere poſſet, cùm terra inter elementa ſit maximè exucca & arida, cui ſiccitas ut propria qualitas accidat? At reſpondendum, quod terra elementata hic intelligatur, non Elementum, cujus in Septimanæ philoſophicæ primo die abundè meminimus, naturamquè explicavimus: Hæc nutrix eſt Cœli, non quod ſolvat, lavet aut humectet fœtum, ſed coagulet, figat & coloret, inque ſuccum & ſangvinem merum convertat. Nutritio enim augmentationem in longum, latum & profundum, hoc eſt, per omnes corporis dimenſiones ſe extendentem complectitur, quæ cùm hic adſit & à ſola terra præſtetur fœtui philoſophico, non immerito nutricis nomine terra appellanda erit: At contrarium quid cœteris lactis generibus, quæ convertuntur & non convertunt, in hoc admirando ſucco terreſtri contingit, cum propter vim ejus fortiſſimam valdè alteret naturam nutriti, quemadmodum lupæ lac Remuli corpus in naturam animoſam & ad bellum promptam diſpoſuiſſe creditur.

EMBLE-

Vade ad mulierem lavantem pannos, tu fac ſimiliter.

EPIGRAMMA III.

ABdita quiſquis amas ſcrutari dogmata, ne ſis
Deſes, in exemplum, quod juvet, omne trahas:
Anné vides, mulier maculis abſtergere pannos
Ut ſoleat calidis, quas ſuperaddit aquis?
Hanc imitare, tuâ nec ſic fruſtraberis arte,
Namque nigri fœcem corporis unda lavat.

SI pannis lineis sordes quædam advenerint, quibus maculentur & nigrescant, utpote terreis recrementis, per proximum elementum, nempe aquam, eluuntur, & aëri panni exponuntur, ut calore solis, tanquam igne, quarto elemento, humiditas unà cum fecibus extrahatur, hoc si sæpius contingat, qui priùs erant sordidi & fœtidi, fiunt puri, & à maculis purgati. Hæc est ars mulierum, quam ab ipsa natura didicerunt: Videmus enim, quod animalium ossa aëri exposita, quæ primò sunt nigra & squalida, si pluvia sæpè madefiant, & superveniente solis calore iterùm exsiccentur per multas vices, ad summam albedinem reducantur, ut Isaac annotat: Eundem ad modum in subjecto philosophico, quæcunque adfuerint cruditates & feces, suis aquis superinfusis purgantur & delentur, corpusque ad magnam claritatem & perfectionem redigitur. Tota enim operationum chymicarum, utpote, calcinatio, sublimatio, solutio, distillatio, descensio, coagulatio, fixatio & reliquæ, una ablutione absolvuntur: Nam qui abluit aquis rem impuram, idem præstat, quod tot operandi formis perficitur: Igne enim, ut Rosarius Philosophorum inquit, linteamina Duenech Principis sudore maculata, lavanda sunt & comburenda aquis: Unde ignis & aqua videntur mutuas sibi invicem dedisse qualitates, aut quod genus ignis Philosophici non sit idem cum communi, idemque de aqua sentiendum. De calce viva & igne Græco exploratum habemus, quod aquis incendantur, & neutiquam extinguantur, contra naturam aliorum inflammabilium: sic camphoram in aquis ardere ante accensam affirmant: Et Gagates lapis (ut Ansel. de Bood testatur) accensus oleo faciliùs extinguitur, quàm aqua: Oleum enim commiscetur ei, ac ignitum corpus suffocat: Aqua cùm pinguedini misceri non possit, ignito cedit corpori, nisi omnino id totum tegat & obruat: Verùm id non facilè fieri potest, quia lapis est, & suprema aquæ, ut oleum omne, petit: Sic naphta, petroleum & his similia incensa aquas non valdè reformidant. De carbonibus subterraneis Leodiensis ditionis quidam scribunt, quod incensi sub terra, non aquis, sed terræ pulveribus superingestis solùm

lùm extinguantur, quemadmodum cor. Tacitus de ſimili ignis genere narrat, quod non aquis, ſed fuſtibus & veſtibus corpori detractis ſaltem opprimi potuerit : Ignium itaque magna eſt diverſitas, & in excitando & in extinguendo, nec minor liquorum, quia lac, acetum, ſpiritus vini, aqua fortis, Regia & communis valdè inter ſe differunt, quoad collationem cum igne: Nec hoc ſolùm, ſed & ipſa materia aliquando ignem ſuſtinet, ut panni illi byſſini, antiquitùs in precio & uſu divitibus habiti, qui igne, non aqua lavabantur, ſeu ad munditiem priſtinam redigebantur, utpote fœcibus combuſtis. Quicquid alii de pilis Salamandræ reptilis nugantur, quaſi inde Elychnia incombuſtibilia fiant, non audiendum : De Talco, alumine plumoſo & hujusmodi aliis materiis aliquando texturam præparatam, quæ igne purgari fuerit ſolita, ſed artificium cum ſciente (muliere Antvverpienſi) ex invidia extinctum periiſſe, nec poſt reperiri id temperamentum potuiſſe, ſunt qui revera adfirmant. De materiis combuſtibilibus hic non loquimur: Secundum omnes has differentias ſubjectum Philoſophicum conſiderandum erit, ſi quando præparetur : Ignis enim, aqua & ipſa materia hic non eſt communis : Philoſophis enim ignis aqua eſt, & aqua ignis : Aqua eorum ſimul lavat & calcinat, ita & ignis : Et panni abluendi habent naturam byſſinorum ſive talci præparati, quorum temperies & præparationis artificium quoque non omnibus obvium eſt : Hos ut lavent, lixivium faciunt non ex cineribus quernis, eorumve ſale, ſed metallico, quod eſt durabilius cæteris, nec ex aqua communi, ſed eâ, quæ ſub ſigno Aquarii in glaciem, nivesque concreta fuerit, utpote quæ ſit tenuiorum partium, quàm ſtagnantes aut lacunarum paluſtres aquæ, unde magis ad interiora corporis Philoſophici, nigri & immundi penetrare poterit, ad id abluendum & purgandum.

Conjunge fratrem cum ſorore, & propina illis poculum amoris.

EPIGRAMMA IV.

NOn hominum foret in mundo nunc tanta propago,
Si fratri conjunx non data prima ſoror.
Ergo lubens conjunge duos ab utroque parente
Progenitos, ut ſint fœmina maſque toro.
Præbibe nectareo Philotheſia pocla liquore
Vtriſque, & fœtus ſpem generabit amor.

LEx Divina & politica prohibet gradu ſangvinis propinquiore per naturam conjunctos, matrimonio copulari, quales ſunt directè aſcendentes & deſcendentes in arbore genealogica & ad latera concurrentes, idque propter cauſas certiſſimas: At quando Philoſophi de matre cum filio, aut patre cum filia, ſeu de fratre cum ſorore, conjugio jungendis loquuntur, non contra dictam legem quid dicunt aut faciunt: Quia ſubjecta diſtinguunt attributa & cauſæ effectus: Perſonæ enim Philoſophorum ab iis differentiis ſunt liberæ æquè ut Adami filii filiæque, qui ſe invicem in conjuges ducebant abſque ullius criminis imputatione: Ratio autem potiſſima videtur, ut genus humanum affinitate & amicitia firmiùs coaleſcat & conſocietur, nec in factiones familiarum inimicas & hæreditarias dividatur: Eadem cauſa quia primis fratribus & ſororibus Adamicis integra manſerit, nil prohibuit, quo minus matrimonio conjungerentur: In ipſis enim ſolis genus humanum tum extitit, nec alii præter ipſos, eorumque parentes, vixerunt ideoque ut ſanguine connexi, ſic affinitate connectendi neceſſario fuerunt: At ſuccreſcente hominum multitudine, quæ in innumeras familias diſtributa, cauſa hæc vera & æqua inventa eſt, ne fratres ſorores ducerent: Apud Philoſophos alia ratio eſt, cur ſorores nubant fratribus, nempe, ſimilitudo ſubſtantiæ, ut ſimili conjungatur: Sunt autem in hoc genere ſaltem duo ſibi quoad ſpeciem ſimilia, quoad ſexum differentia, quorum unum fratris, alterum ſororis nomine ſalutatur: Hæc itaque eâdem & libertate & conditione, imò & neceſſitate inevitabili, quâ primi homines conſanguinei, uni matrimonio legitimè committenda ſunt: Frater eſt ardens & ſiccus, ideoque valdè cholericus; ſoror eſt frigida & humida, multum phlegmaticæ in ſe habens materiæ: Quæ in temperie adeò differentes naturæ, in amore & fœcunditate, liberorumque propagatione optimè convenire ſolent: Ut enim non ex chalybe & chalybe duriſſimo corpore, nec ex ſilice & ſilice fragili, excutitur facilè ignis, qui propagari poſſit, ſed ex duro & fragili, hoc eſt, chalybe & ſilice; ſic non ex ardente mare & ignea fœmina, ut nec ex

utrisque frigidis, (frigiditas enim maris infœcunditas eſt) proles vivax ſuſcipitur, ſed ex illo calido, hac frigidiore: calidiſſima enim mulier, in temperamenti humani latitudine, frigidior ſtatuitur frigidiſſimo ſui ſexus (at ſano) viro, ut Lev. Lemnius in lib. de occ. nat. mirac. probat. Sororitaque & frater à Philoſophis rectè conjunguntur. Si quis ex gallina, canicula, capra, ove vel aliis brutis fœtum naſci debere deſideret, is gallum, canem, hircum, caprum, quodque animal ſuæ ſpeciei, cui ſimilius exiſtit, adjungit, atque ſic voto ſuo non fruſtratur; nec verò reſpicit conſanguinitatem brutorum, ſed ſaltem generoſitatem cujusque & naturæ convenientiam. Ita dicendum de trunco arboris, & ſurculo ei inſerendo; Imò de metallica natura, quæ tamen omnium maximè ſimilitudinem & homogeneitatem ſubſtantiæ ut habet, ſic, ubi quid ſibi conjungi poſtulet, requirit: Verùm frater & ſoror conjuncti, fœcundi non fiunt, nec in amore diu perſiſtunt, niſi Philotheſium illis ſeu poculum amoris, inſtar philtri, propinetur: Hoc enim ſedantur & conciliantur eorum animi adeò, ut quaſi ebrii (inſtar Lothi) inter ſe, pudore abjecto, congrediantur & prolem (non ſpuriam, ſed) legitimam progenerent. Quis enim ignorat, humanum genus Medicinæ plurimum debere, propterea, quod multæ hominum myriades, ejus beneficio & operâ, nunc in mundo extent, qui non fuiſſent, niſi eorum parentes aut proavi à vitio ſterilitatis per remotionem cauſæ & ſublationem, ſeu impedimenti proximi, & remoti, vindicati & liberati, aut ab abortu matres præſervatæ forent? Datur itaque hoc poculum amoris easdem ob cauſas his novis nuptis, quas quilibet ex jam dictis ternas perſpicere poterit, utpote amoris conſtantiam, ſterilitatis remotionem & abortus prohibitionem.

Appo-

Appone mulieri ſuper mammas bufonem, ut ablactet eum, & moriatur mulier, ſitque bufo groſſus de lacte.

EPIGRAMMA V.

Fœmineo gelidus ponatur pectore Bufo,
Inſtar ut infantis lactea pocla bibat.
Creſcat & in magnum vacuata per ubera tuber,
Et mulier vitam liquerit ægra ſuam.
Inde tibi facies medicamen nobile, virus
Quod fuget humano corde, levetque luem.

TOTA Philoſophorum congregatio in hoc conſentit, quod opus eorum nihil aliud ſit, quàm mas & fœmina : Maris verò eſt, generare & dominari fœminæ ; hujus concipere, imprægnari, parere, lactare & educare ſobolem, marisq; imperio ſubjici : Ut enim conceptum fœtum, antequam edatur in lucem, ſub ſanguine, ita editum lacte fovet & nutrit. Hinc natura præparavit tenello puſioni in mammis muliebribus cibum digeſtibilem & proportionatum, qui expectat ejus adventum, tanquam primus commeatus & viaticum in hoc mundi curriculo : Lacte itaque alitur, creſcit & augmentatur eò uſque, donec inſtrumenta panis comminuendi habeat, hoc eſt, dentes, tum ablactatur meritò, quia natura illi provident de alio ſolidiori nutrimento. At hîc Philoſophi dicunt, quod mulieri bufo ſuper mammas apponendus ſit, ut eum inſtar infantis ſuo lacte alat. Miſerum hoc & horrendum ſpectaculum eſt, imò & impium, quod lac infanti deſtinatum bufoni, beſtiæ venenoſæ & naturæ humanæ adverſanti præbendum ſit : De ſerpentibus ac draconibus vaccarum ubera exſiccantibus audivimus & legimus: Fortè idem bufones appeterent, ſi occaſio offerretur in bobus. Hiſtoria de bufone nota eſt, qui ruſtico cuidam dormienti ita occupavit os & interiora labra, ut nullo aſtu inde abigi potuerit, niſi violentiâ, quæ cum periculo mortis, veneni ejus expuitione (quâ uti dicitur pro telis defenſivis aut offenſivis) conjuncta fuiſſet, ideoq; non tentanda : Ex antipathia itaque remedium miſero homini inventum, nempe aranei prægrandis & bufonis, qui ſe invicem lethali proſequuntur odio : Portatus itaque eſt cum bufone directè ad locum, ubi araneus prætumidus ſuas texturas expoſuerat, qui cùm bufonem vidit, mox ſe dimiſit in tergum bufonis, eumque ſuo aculeo pupugit : Cùm verò nihil inde damni acciperet, ſecunda vice deſcendit, & iterùm illum fortiùs fixit ; Unde mox bufo intumuit, & ex hominis ore mortuus decidit, absque ulla ejus noxa. Sed hîc contrarium accidit : quia bufo non os, ſed mam̃am mulieris occupat, cujus lacte adeò increſcit, ut ingentis magnitudinis & roboris evadat : Mulier verò viribus abſumptis extabeſcat

& mo-

& moriatur: Venenum enim facilè per venas pectorales communicatur cordi, idque inficit & extinguit, quemadmodum ex Cleopatræ casu constat, quæ viperas mammis admovit, cùm voluntariâ morte præveniri voluerit, ne viva in victorum manus ac triumphos traheretur. Verùm ne quis Philosophos adeò crudeles existimet, quasi mulieri venenosum reptile admoveri jubeant, sciendum, hunc bufonem esse ejusdem fœminæ fœtum seu filium, monstroso partu editum, ideoque jure naturali, lacte materno frui & ali debere, quod verò mater moriatur, non est in voluntate filii: Nec enim matrem inficere potuit, qui in visceribus ejus concretus, & ex sanguine augmentatus fuerat usque ad partum. Ominosum sanè quid est, bufonem ex muliere nasci, quod alias contigisse novimus: Guilielmus Novobrigensis, Anglicus scriptor, in suis commentariis scribit, (quàm fideliter, alii judicent:) in lapicidina quadam ditionis Vintonienſis Episcopi, cùm lapis quidam magnus divideretur, intùs inventum bufonem vivum cum aurea catena, eumque ex Episcopi jussu eodem loci reconditum & perpetuis tenebris immersum, ne quid mali ominis secum portaret: Talis est & hic bufo: Auro enim insignis est, etiamsi non extrinsecùs, artificiali catenæ opere, tamen intrinsecùs naturali, nempe lapidis, quem alii Boracem, Chelonitin, Batrachiten, Crapaudinam aut garatronium vocant. Hic enim auro longè prævalet virtute contra venena quæcunque animaliũ, & auro inferi solet, tanquam thecæ aut coopertorio, ne lædatur aut perdatur. At legitimum esse oportet ex animali petitum, si verò ex subterraneis fossis, ut solet, depromptus lapis ejus formâ concinnetur, & vice usurpetur, ex optimis mineris, cordi subvenientibus, eligatur: In his enim bufo Philosophicus reverà invenitur, non in lapicidina (ut ille fabulator asserit) aurumque in se habet, non extra ad pompam: Ad quid enim se ornaret bufo in tenebris & claustris delitescens? Forte ut à scarabæo magnificè salutaretur, si in crepusculo illi obvius incederet? Quis aurifaber subterraneus fabricasset illi auream catenam? Fortè viridium puerorum pater, qui ex terra S. Martini, imò ex ipsa terra, ut & duo canes ex lapicidina, eodem authore, prodierunt?

Theophilus in turba meminit draconis mulieri junctí.

Semi-

Seminate aurum veſtrum in terram albam foliatam.

EPIGRAMMA VI.

RVricolæ pingui mandant ſua ſemina terræ
Cum fuerit raſtris hæc foliata ſuis.
Philoſophi ni-veos aurum docuêre per agros
Spargere, qui folii ſe le-vis inſtar habent:
Hoc ut agas, illud bene reſpice, namque quod aurum
Germinet, ex tritico videris, ut ſpeculo.

PLATO

PLato civitatem conſtare dicit non ex medico & medico, ſed ex medico & agricola, hoc eſt, diverſarum functionum hominibus: Agricolæ verò & medici inprimis meminit, quia horum opera ſunt valdè conſpicua in imitatione, emendatione, & perfectione naturæ. Nam uterque ſubjectum naturalæ aſſumit, in quo ſecundum artem quædam addit neceſſaria, deficientia, vel etiam ſuperflua removet: Unde utriusque ars per adjectionem defectus & ſubtractionem ſuperflui (ut ab Hippocrate medicina) definiri poteſt: Quid enim facit ampliùs agricola, quàm ut agro, à natura relicto, addat arationem, lyrationem, occationem, lætificationem ſeu ſtercorationem, ſeminationem, & reliqua, nempe incrementum & proventum naturæ committat, quæ calorem ſolis & pluviam adminiſtrat, & his ſemina multiplicat & in ſegetes mox ſternendas provehit: Interim pullulante herbâ agricola tribulos & impedimenta omnia removet, ſegetes maturas demetit, demeſſis ſuperflua tollit, nempe ſtramina, paleas & ejusmodi alia: Ita & medicus (quin & chymicus diverſo reſpectu) corpori humano ſanitatem præſentem conſervare, abſentem recuperare diverſis remediis inſtituit, cauſam morbificam tollit, morbum curat, ſymptomata ſedat, ſuperfluum ſanguinem venæſectione diminuit, deficientem bona victus ratione ordinata reſtaurat, humores noxios purgatione evacuat, & ſic mille modis naturam imitatur, ſupplet & corrigit intellectus & artis operibus; quæ cùm notoria ſint, Chymica potiùs nobis conſideranda veniunt: Chemia enim agriculturæ operationes inprimis teſtatur ſuis ſecretis terminis & operandi modis: Agricolæ habent terram, cui ſemina inſeminent, ita & Chymici: Habent fimum, quo lætificent agros, ita & hi, ſine quo nihil fieret, nec fructus aliquis ſperandus eſſet: Illi habent ſemina, quorum multiplicationem deſiderant: Hæc niſi chymici haberent, imitarentur pictorem (ut Lullius inquit) exprimere conantem faciem cujusdam viri, quem ipſe nunquam vidiſſet, nec imaginem ejus: Agricolæ expectant pluviam & calorem ſolis, ſic & reverà chymici calorem adminiſtrant ſuo operi convenientem & pluviam: Quid multis? Che-

mia eſt omninò parallela agriculturæ, ejusque vicaria, quæ per omnia ejus vices exprimit, at ſub allegoria abſolutiſſima: Hinc antiqui produxerunt Cererem, Triptolemum, Oſiridem, Dionyſium, Deos aureos, ſeu ad chemiam ſpectantes, quaſi docentes mortales ſemina frugum in terram ſuam projicere, agriculturam & vitium propagationem, vinique uſum monſtrantes, quæ omnia ignari ad ruſtica opera detorſerunt, at falsò: Sunt enim illa arcaniſſima naturæ myſteria, quæ hiſce agricultutæ velamentis præ vulgo abſconduntur & ſapientibus declarantur: Hinc dicunt Philoſophi, quod aurum eorum in terram albam foliatam ſeminandum ſit, quaſi velint, ſeminationem tritici ſpectandam eſſe pro exemplo & imitandam, quod author tractatus de tritico & Jod. Greverus optimè in ſuis deſcriptionibus fecerunt: Uterq; enim agriculturæ operationes ſingulas in producendo tritico, auri ſeminationi ſeu tincturæ generationi venuſtiſſimè accommodavit: Terra alba, utpote arenoſa, ruſticis parum fructus ſuppeditat, quibus nigra & pinguis magis ad nutum; at Philoſophis inprimis illa confert, ſi foliata ſit, hoc eſt, bene præparata: quia hi eam ſtercorare ſimo ſuo noverunt, illi neutiquam: Eſt autem ſeminatio mundi propagatio, qua id quod in individuo perdurare nequit, ſpecie permanere curatur: Hæc eſt in homine, animalibus & plantis, in his hermaphroditicè, in illis ſub gemino ſexu diſtincto: In metallis autem longè alio modo: In iis enim ex puncti fluxu fit linea, ex lineæ ſuperficies, ex ſuperficiei corpus: Punctum autem iſtud aſtra produxerunt ante lineam, ſuperficiem, & corpus, quia eſt eorum omnium principium: Fluxum natura addidit longo temporis ſpacio interpoſito, hoc eſt, Phœbus cœleſtis generavit ſub terra filiolum, quem Mercurius Vulcano educandum obtulit & Chironi, hoc eſt, artifici manuali, ad erudiendum, quemadmodum de Achille ſcribunt, qui à Thetyde matre ſub ignibus detentus & induratus fuit: A Chirone ille, inter alia, didicit Muſicam & Cytharæ tractandæ artificium: Cùm verò *Achilles* nihil aliud ſit, quàm ſubjectum Philoſophicum (cujus filius Pyrrhus rubro capillitio, ſine quibus duobus Troja expugnari non potuit, ut copiosè in noſtris Hieroglyphicis lib. 6. demonſtravimus:) ideo Muſicam in hoc ipſo noſtro opere, ubi Achillem, ejusq; heroicas virtutes & facta deſcribimus, non absque cauſa (licet obiter) tractamus: Nam ſi Muſica ornavit tantum Heroa, quidni & noſtrum hoc opuſculum magis variegatum & acceptum reddat: Canunt enim Angeli (ut ſacræ teſtantur literæ) canunt cœli, ut Pythagoras ſtatuit, & enarrant gloriam Dei, ut Pſalmiſta ait, canunt Muſæ & Apollo, ut poëtæ, canunt homines etiam infantes, canunt volucres, canunt oves & anſeres in inſtrumentis muſicis, ſi ergo & nos canamus, non abs re facimus.

Hinc Ovid. Phyllirides puerum Cytharæ præfecit Achillem.

Fit

Fit pullus à nido volans, qui iterùm cadit in nidum.

EPIGRAMMA VII.

RUpe cavâ nidum Jovis Ales *struxerat, in quo*
Delituit, pullos enutriitque suos:
Horum unus levibus voluit se tollere pennis,
At fuit implumi fratre retentus ave.
Inde volans redit in nidum, quem liquerat, illis
Junge caput caudæ, tum nec inanis eris.

QUod Hippocrates, medicorum anteſignanus, de humoribus aſſerit, eos eſſe diverſos ac plures numero in homine, nec ſaltem unum, alias morbos varios exoriri non poſſe, id nos de Elementis mundi verum dici animadvertimus. Si enim unum ſaltem elementum eſſet, nulla mutatio ejus in aliud, nulla generatio nec corruptio contingeret, imò omnia eſſent unum imutabile, nec meteora, mineralia, plantæ ac animalia inde naturaliter producerentur. Hinc Creator ſummus totum hoc mundi Syſtema ex diverſis & contrariis naturis concinnavit, nempe ex levibus & gravibus, calidis & frigidis, humidis & ſiccis, ut una in aliam per affinitatem transiret, & ſic compoſitio fieret corporum, quæ in eſſentia, qualitatib⁹ viribus & effectibus longè inter ſe differrent: ſunt enim imperfectè miſtis Elementa levia ut ignis & aër, nec non gravia, ut terra & aqua, quæ æquilibriis ita inter ſe temperantur, ut unum non aufugiat ab alio, ſed ſingula à ſingulis, vicina à vicinis facilè ſe capi & detineri patiantur: Terra & aër ſibi invicem adverſantur, ſic ignis & aqua; attamen ignis cum aëre per caliditatem utrique communem, cum terra per ſiccitatem amicitiam fovet: ſic aër cum aqua & hæc cum terra: Unde omnia affinitatis aut potius conſanguinitatis vinculis connectuntur, & manent ſimul in una compoſitione, quæ ſi abundet levibus, elevat ſecum gravia, ſi gravibus, premit ſecum levia: Hoc declaratur per duas Aquilas, pennatam & implumem, ex quibus illa volare conata ab hac retinetur: In Falconis & ardeæ pugna exemplum hujus rei evidens eſt: Ille enim celeri volatu & alis pernicibus ſuperior, in aëre factus hanc unguibus prehendit & lacerat, cujus pondere in terram uterque decidit: Contrarium in Archytæ columba factitia ſeu Automate apparuit, ubi gravia à levibus ſublata ſunt, hoc eſt, à ſpiritu interius incluſo ligneum ejus corpus in aëra raptum: In philoſophico ſubjecto primò levia prędominantur gravibus, quoad copiam, attamen à virtute gravium vincuntur: ſucceſſu autem temporis alæ aquilinæ præſcinduntur, & fit ex duabus una avis prægrandis (nempe Strutiocamelus) quę ferrum conſumere poſſit, quæque magis in terra ſub pondere præpedita currat,

rat, quàm per aëra volet, licèt pennas ſpecioſas habeat. De hac aut ſimili Hermes (ut Author Auroræ cap.5.teſtatur) ita ſcribit: conſideravi avem ſapientibus venerabilem, quæ volat, dum eſt in Ariete, Cancro, Libra aut Capricorno: Et acquires eam tibi perennem meris ex mineris & montanis petroſis: De eâdem Senior in Tabula, ubi gemina viſitur, volatilis & ſine peñis, quorum una roſtro alteri⁹ Caudam invicem tenet, ne facilè ſeparari poſſint. Hæc enim eſt naturæ Univerſæ machinatin, ut gravia ſemper levibus attollat, & viciſſim levia gravibus deprimat, ut Author perfecti Magiſterii declarat: qui ſeptem ſpiritus minerales, veluti ſtellas Erraticas, & totidem corpora metallica, ceu ſtellas fixas, hasque cum illis maritari debere ſtatuit. Inde & Ariſtoteles Chymicus; cùm Spiritus, inquit, ſolverit corpus & animam, ut exiſtant in forma ſua, non permanet fixum, niſi occupaveris ipſum: Occupatio verò eſt, ut conjungas ipſum cum corpore, de quo præparaſti in principio; Quoniam in eo occupatur à fuga ſpiritus ad ſuperſiſtentia corporis. In camphora, ut Bonus commemorat, Elementa levia, nempe aër & ignis, prævalent gravibus; ideóque dicitur tota exhalare & in aërem abire. In argento vivo, floribus ſulfuris, antimonii, ſale ſanguinis cervini, armoniaco & ejusmodi aliis terra cum aëre volat in alembicum, nec ſeparatur ab illo. In auro, vitro, adamante, lapide Smiri, granatis, & ſimilibus, Elementa diutiſſimè illæſa permanent conjuncta, igne urgente, & terra retinet reliqua apud ſe. In aliis combuſtibilibus fit diviſio & ſeparatio unius ab alio, ita ut cineres in fundo relinquantur, aqua, aër & ignis ſuperiora petant. Non itaque ad horum ultimorum compoſitionem inæqualem, haud ita fortiter mixtam, reſpiciendum, nec ad primorum commiſtionem, licet durabiliorem, tamen volatilium, ſed ad mediorum ſoliditatem, conſtantiam & fixitatem: ſic enim implumis avis detinebit plumatam, & fixa ſubſtantia figet volatilem, quod fieri oportet.

Accipe ovum & igneo percute gladio.



EPIGRAMMA VIII.

EST avis in mundo sublimior omnibus, Ovum
Cujus ut inquiras, cura sit una tibi.
Albumen luteum circumdat molle vitellum,
Ignito (ceu mos) cautus id ense petas:
Vulcano Mars addat opem: pullaster & inde
Exortus, ferri victor & ignis erit.

Mul-

MUlta & varia ſunt avium genera, quæ ut numero indefinita, ita nominibus incognita nobis exiſtunt. De quadam prægrandi Ruc dicta in inſula parva oceani certo añi tempore apparente narrant, quod Elephantum ſecum in aëra poſſit attollere. India & America dant varii coloris pſittacos, corvos & his ſimiles. Verùm harum ova conquirere non eſt intentionis Philoſophicæ; Ægyptii ova crocodilorum ferro annuatim infeſtant, & veluti publico indicto bello proſequuntur; Philoſophi ovum ſuum igne percutiunt, non ut deleatur & pereat, ſed vitam accipiat & creſcat. Dum enim pullus inde producitur animatus & vivens, non ejus corruptio, ſed generatio dicenda eſt. Deſinit quidem eſſe ovum per privationem ovalis formæ, & incipit eſſe animal bipes & volatile per introductionem formæ nobilioris: Sunt autem in ovo ſemina maris & fœminæ ſimul conjuncta ſub uno tecto ſeu cortice. Vitellus pullum ejusque radicalia membra & viſcera conſtituit, ſemine maris formatore & efficiente interno exiſtente. Albumen materiam ſeu ſubtegmen & incrementum dat rudimento ſeu ſtamini pulli. Calor exterior primum movens eſt, qui circulatione quadam Elementorum, uniusq; in aliud commutatione formam novam introducit, naturæ inſtinctu aut ductu. Aqua enim in aêrem, & aêr in ignem, ignis in terram tranſit, quæ omnia dum copulantur, ab aſtris ſpecificâ formâ demiſsâ fit individuum certæ ſpeciei volucris, nempe ejus, cujus eſt ovum & illi infuſum ſemen. Gladio vero igneo percuti dicitur, dum Vulcanus pullo ſua ſecuri (ceu ex cerebro Jovis Palladi) exitum præbet, obſtetricis functus munere. Hoc eſt quod Baſilius Valentinus aſſerit, Mercurium à Vulcano carceri incluſum eſſe Martis juſſu, nec emiſſum, antequam putrefactus totus & emortuus fuerat. Verùm hæc mors illi vitæ novæ initium exiſtit, ut ovo corruptio ſeu mors novam pulli generationem & vitam adfert: ſic fœtui humanâ vitâ vegetabili (qua ſolâ in utero matris fruebatur) defuncto, alia perfectior per tranſitum in hanc lucem mundanam, ſive per nativiratem accedit. Imò & nobis hac præſenti vitâ, quam agimus, privatis, alia perfectiſſima & æterna imminet:

ſic

ſic Lullius hunc gladium igneum, acutam lanceam vocat multis in locis; Quia ignis, ut lancea ſeu gladius acutus perforat corpora eaque poroſa & pervia reddit, ut aqua penetrare poſſit ad ſolvendum ea & à duritie ad mollitiem tractabilitatemque reducendum. In ſtomacho corvi marini, qui avium omnium eſt voraciſſimus, inveniuntur longi & teretes vermes vivi, qui illi ſunt quaſi inſtrumentum caloris, dum anguillas ab ipſo captas, piſcesque è veſtigio invadunt & tanquam acutiſſimæ acus perforant, (ut ipſi aliquando obſervavimus) & ita abſumunt breviſſimo tempore, mira naturæ operatione. Calor itaque ut pungit, ſic pungens aliquando caloris vices gerit. Unde non immeritò igneus gladius dici poterit, quo ovum philoſophorum ſtringendum ſeu plectendum erit. Verùm Philoſophi potius de temperato calore id intelligi volunt, quo ovum fovetur, ut *Morfoleus* in turba declarat dum inquit: *Oportet, ſapientes viri, lento igne primùm humiditatem comburi, ut exemplo nobis monſtratur in generatione pulli, & ubi augmentatur ignis, vas undique obturetur, ne corpus æris & ſpiritus ejus fugiens extrahatur.* At cujus avis ovum eſt? *Moſcus* ibidem; *Ego autem dico*, inquit, *quod nulla inſtrumenta fiunt, niſi ex noſtro pulvere albo, ſtellato, ſplendido & ex lapide candido, è quo pulvere apta fiunt inſtrumenta pro ovo; non tamen nominaverunt ovum, vel cujus avis ovum ſit.*



Ar-

Arborem cum ſene conclude in rorida domo, & comedens de fructu ejus fiet juvenis.



EPIGRAMMA IX.

ARbor ineſt hortis Sophiæ dans aurea mala,
Hæc tibi cum noſtro ſint capienda ſene;
Inq́; domo vitrea claudantur, roréque plenâ,
Et ſine per multos hæc duo juncta dies:
Tum fructu (mirum!) ſatiabitur arboris ille,
Vt fiat juvenis qui fuit ante ſenex.

QUæcunque crescunt in longum latum & profundum, hoc est, oriuntur, nutriuntur, augmentantur, ad acmen perveniunt, propagantur, eadem quoque decrescunt, hoc est, in viribus diminuuntur, moriuntur, & omninò concidunt, ut patet in vegetabilibus & animalibus omnibus. Hinc homini quoque, cùm ad summum augmentum venerit, decrementum, hoc est, senium accidit, quo in viribus sensim diminuitur eò usq; donec mors accesserit: Senectutis verò eadem causa est, quæ lampadis oleo ferè absumpto emarcescẽtis, & obscurè lucentis. Nam ut in lampade tria, Elychniũ, pinguedo & flamma, sic in homine Elychnium sunt membra vitalia, viscera & artus; pinguedo, humidum radicale; flamma calor nativus: sola differentia est in eo, quod flamma lampadis luceat, calor nativus neutiquam, cùm non sit ignis, sed saltem calor, & quod pinguedo sit oleosa, humidum radicale viscosum, utpote seminalis principii: Ut quoque lampas extinguitur ex defectu olei, sic homo ex senio, absque alio morbo, in marasmum & tabem senilem ac denique mortem incidit. De aquila referunt, quòd in senectute rostro præcurvo impedita fame moreretur, nisi à natura rostro abjecto quasi juventuti restitueretur: Sic cervi cornibus depositis, serpentes pellibus sive exuviis, cancri testis rejuvenescere videntur; non quidem revera, quia absumptum humidum radicale illis non restituitur, sed quoad aspectum: Hominem, quod rejuvenescere faciat, nihil est, nisi mors ipsa & sequentis æternæ vitæ initium: quoad externam formam & virium aliquo modo restaurationem, rugarum & canorum ablationem sunt, qui dicunt, remedium inveniri, quod Lullius de Quinta essentia, Arnoldus de auro præparato affirmat. Verùm hîc Philosophi dicunt, senem, ut juvenis fiat, cum arbore quadam includendum esse in domo rorida, tumque eum de fructu arboris comesturum, & ita juventam recuperaturum: Esse arbores ejusmodi nunc in rerum natura vix à vulgo creditur. De myrobalanis, fructibus arboreis, medici mira scribunt, quasi tale quid præstent, canos tollant, sanguinem purificent, & vitam prolongent: At hæc à multis in dubium vocantur, nisi per accidens id efficere dicantur, ut & alia, quæ purgant

mas-

massam sanguinis à fœcibus illi admixtis, & canos inficiunt nigredine, quamyrobalani capillos & pupillam oculorum colorare traduntur. Marsilius Ficinus in libro de studiosorum vita conservanda scribit, ad ætatem longam attingendam utile esse, ut quis lac ex uberibus cujusdam fœminæ pulchræ & juvenis quotidiè exugat, cujus vice alii viperinam carnem comestam laudant: Sed sanè hæc media sunt ipsa senectute rigidiora, & vix millesimo usurpanda, etiamsi effectu certissimo non carerent. A Paracelso in lib. de vita longa scribitur, quod quis per solam imaginationem alterius sanitatem æger, juventutem senex sibi attrahere possit, sed hic author in hoc imaginatione sua sola, non experientia usus videtur. De Psyllis cum duplici pupilla, & strigibus quod fascinent solo aspectu pueros & pecudes, unde illud Virgilii: Nescio quis teneros oculus mihi fascinet agnos, indubitatum est: Sed hæc absque contactu fiunt, quo arbor juventuti senem restituit: Habet enim hæc arbor fructus dulces, maturos & rubeos, qui facilè in optimum sanguinem transeunt, cùm sint facilis digestionis & optimi nutrimenti, ita ut nihil superflui aut fœcum in corpore relinquant: senex verò abundat phlegmate albo, albique est coloris & capillitii, qui humor, color & capilli mutantur esu horum fructuum, & fiunt rubei, qui sunt juvenum. Hinc Philosophi dicunt, lapidem primò esse senem, hoc est, album, deinde juvenem, id est, rubeum, quia hic color sit juventutis, ut ille senii: Additur, quod concludi debeat senex cum arbore, non sub dio, sed in domo, non sicca, sed rore humida. Pro miraculo habetur, arbores enasci vel vegetare in concluso loco, attamen si ille sit humidus, non est dubium, quin diu perdurent: Arboris enim nutrimentum humor & terra est aërea, hoc est, pinguis, quæ ascendere possit in truncum & ramos, ibique folia, flores & fructus producere: In quo naturali opere omnia elementa concurrunt, dum ignis dat primum motum, ut efficiens, aër tenuitatem & penetrabilitatem, aqua lubricitatem, terra coagulationem: Aër enim in aquam, & aqua in terram redit, si quid superflui illorum ascenderit: Per ignem calorem nativum intelligo, qui cum semine propagatus fructus similes illis unde semen venit, ceu faber fabricat & efformat, astrorum potentiâ. Non solùm verò prodest rorida evaporatio arbori humectandæ, ut fructus dare, sed & seni, ut re juvenescere illis fructibus facilùs possit, dum scil. ejus cutim rugosam & aridam temperato calore & humore emollit, replet & restaurat: Medici enim in marasmo & tabe senili balnea tepida cum ratione, magna utilitate imperant & præscribunt: Si verò res bene consideretur, arbor illa est filia senis, quæ ut Daphne mutata est in vegetabile ejusmodi, unde senex non immeritò juventutem sperat ab illa, cujus ipsa, ut esset, causa extitit.

Da ignem igni, Mercurium Mercurio, & ſufficit tibi.

EPIGRAMMA X.

MAchina pendet ab hac mundi connexa catena
Tota, Suo Quod Par Gaudeat Omne Pari:
Mercurius ſic Mercurio, ſic jungitur igni
Ignis, & hoc arti ſit data meta tuæ.
Hermetem Vulcanus agit, ſed penniger Hermes,
Cynthia, te ſolvit, te ſed, Apollo, ſoror.

Hæc

HÆc ſententia, ſi, ut ſonat, accipitur, quantitatem ignis & Mercurii ſaltem auget, nec aliquam novam qualitatem ſubjecto inducit : Omne enim ſimile ſuo ſimili additum , magis fit tale: Hinc medici contraria contrariis mederi, & hæc ab illis tolli aſſerunt, ita ignem ab aqua extingui, ab igne addito foveri videmus: Idem Poëta ſentit, cùm dicit: Et Venus in vinis, ignis in igne furit. Verùm reſpondendum, quod ignis & ignis, Mercurius & Mercurius longè inter ſe differant: Multa enim ſunt ignium genera apud Philoſophos, multa quoque Mercurii. Adhæc idem calor & frigus diſtans ſaltem loco aut ſitu, ab alio ſui generis differt, ita ut id, quod ſibi ſimile ſit, ad ſe evocet, ut animadvertimus calorem ignis alicui membro impreſſum, ab eodem calore attrahi & evocari artusque frigore hyberno torpidos, & ferè emortuos aquâ frigidâ, ſi in eam mergantur, non calore externo immediatè adhibito, reſtaurari. Ut verò lumen majus obſcurat minus, ſic & major calor minorem, & frigus majus, minus: Nihilominùs oportet calorem & frigus externum minus eſſe, quàm ante impreſſum membris aut artubus, aliàs eadem impreſſio fieret, quæ ante, & ſimile à ſimili multò magis augeretur , quàm evocaretur : Evocatio enim frigoris ab aqua frigida, & caloris ignei à calore, naturæ conveniens eſt, quia omnis repentina in contrarium mutatio ei periculoſa, & minus accepta eſt, quæ verò fit ſenſim, & quaſi per gradus tolerabilis: Ita dicimus, alium ignem eſſe internum, inque ſubjecto Philoſophico jam ante infixum ſeu eſſentialem exiſtere, alium externum, quod quoque de Mercurio intelligendum. Internus ille ignis eſt æquivocè propter igneas qualitates, vires & operationes, externus univocè. Dandus igitur ignis externus interno & ejusmodi Mercurius Mercurio, ut artis intentio fiat: Ad omne durum aut crudum coctione emolliendum vel maturandum, igne & aqua utimur: Aqua enim duritiem ſolvit & in partes compactas penetrat, calore vires ei addente & motum, ut apparet e.g. in coctione piſorum, quæ per ſe ſunt integra & dura, verùm ab aqua intumeſcunt, franguntur & in pultem rediguntur, calore ignis per ebullitionem aquam rarefa-

ciente, & tenuioris seu ferè aëriæ substantiæ reddente: Sic ignis calor crudas partes fructuum aut carnium resolvit in aquam, cumque ea in aërem evanescere facit: Eodem modo ignis & Mercurius hic sunt ignis & aqua, ac iidem, ignis & Mercurius sunt partes maturæ & crudæ, ex quibus crudæ per coctionem maturandæ sunt, aut maturæ à superfluitatibus purgandæ ignis & aquæ ministerio: Esse autem hos duos ignes, duosque Mercurios ad artem inprimis & unicè necessarios, breviter hîc demonstrabimus: Empedocles duo principia rerum omnium statuit, litem & amicitiam: Per litem corruptiones fieri, per amicitiam generationes: Ejusmodi lis inter ignem & aquam manifestè conspicitur, dum ignis aquam evaporare faciat, si potest, aqua econtra ignem extinguat, si illi adhibeatur: Attamen ex iisdem generationes amicitiâ quâdam fieri conspicuum est: Calore enim ex aqua fit aëris nova generatio, & eodem aquæ in lapidem induratio, & sic ex his duobus elementis, quasi primis fiunt, & reliqua duo, & per consequens, omnium rerum productio. Aqua fuit materia cœli & omnium rerum corporalium: Ignis materiam hanc, ut forma movet & informat: sic aqua seu Mercurius hic materiam præbet, & ignis seu sulphur, formam. Quæ duo ut ad operationem perveniant, & se invicem moveant solvendo, coagulando, alterando, colorando & perficiendo, opus fuit externis adminiculis, tanquam instrumentis, sine quibus non effectus sequeretur. Ut enim faber absque malleo & igne nihil efficit, sic nec Philosophus absque suis instrumentis, quæ sunt aqua & ignis: Atque hæc aqua dicitur à quibusdam nubium, ut ignis hic occasionatus: Aqua nubium absq; dubio vocatur, quia distillata est, velut ros Maji, tenuissimarum partium: Ut enim ros dicti mensis incluſ9 cortici ovali affirmatur calore solis in altum sublevare ovum, aut ejus continens, ita & hæc aqua nubium sive ros, ovum Philoph. ascendere facit, hoc est, sublimat, exaltat & perficit: Est quoque eadem aqua acetum acerrimum, quod corpus fecit merum spiritum: Ut enim acetum diversarum qualitatum est, nempe ut in profundum penetret & astringat, sic hæc aqua solvit & coagulat, non autem coagulatur, quia non est de subjecto proprio. Est autem hæc aqua ex Parnassi petita fonte, qui præter naturam aliorum fontium in vertice montis existit, ab ungula Pegasi, volatilis equi, factus. Oportet præterea adesse ignem actualem, qui tamen suis gradibus, tanquam frenis, temperetur. Ut enim Sol ab Ariete in Leonem procedens sensim calorem rebus crescentibus adauget, semper propiùs accedendo, sic hic necesse est fieri: Infans enim Philosoph. igne, ut lacte, nutriendus est, quò magis crescat, eò uberiore.

De

EMBLEMA XI. *De secretis Naturæ.*

Dealbate Latonam & rumpite libros.

EPIGRAMMA XI.

LAtonæ sobolem non novit nemo gemellam,
(Ceu fert fama vetus) quæ Jove nata fuit.
Hanc alii tradunt cum Luna lumina Solis
Mixta, nigræ cui sint in facie maculæ.
Latonam ergo pares albescere, damnaque dantes
Ambiguos, adsit nec mora, rumpe libros.

Tan-

TAnta eſt authorum in ſcribendo diverſitas, ut ferè inquiſitores veritatis de artis fine inveniendo deſperent. Cùm enim per ſe allegorici ſermones ſint captu difficiles & multorum errorum cauſæ, tum inprimis, ſi vocabula rebus diverſis eadem & iisdem diverſa applicentur. Ex quibus ſi quis ſe extricare velit, oportet eum aut divini eſſe ingenii, ut perſpiciat ſub tantis tenebris latentem veritatem, aut laboris & ſumptus in exhauſti, ut experiatur, quid verum, quid non ſit. At Philoſophi unum absque alio non ſufficere dicunt, ingenium acutum absque manuum labore, aut hunc absque illo, ut nec theoriam absque praxi & vice verſa. Nemo enim adeò diſcreti intellectus eſt, ut centies mille ambages, errores, ad vocem falſitates, diverticula, & ambiguitates declinet & in vera Naturæ ſemita perſiſtat: Unde dicunt Philoſophi: Qui nondum erravit, nondum incepit, & errores eſſe magiſtros eorum quæ fieri debeant aut non. Ita iidem inculcant, quòd quis totam vitam diſtillando & rediſtillando conſumere poſſit, etiamſi mille annos viveret, antequã perſolam Experimentationem ad veritatem perveniret. Quod absque ſtudio & lectione authorum parum proficiatur, Corrector fatuorum iñuit, cùm dicit: Studium amovet ignorantiam & reducit humanum ingenium ad veram cognitionem & ad cujuslibet rei ſcientiã. Ergo inprimis eſt neceſſarium per ſtudiũ hujus ſuavis operis ſcientiam acquirere & per phyſica dicta ingenium acuere, cùm in ipſis ſit cognitio veritatis. Si ergo laborantes ſtudium non deſpexerint, fructum inde pervenientem dulciter deguſtabunt. Qui autem ſtudere abhorruerint, & tamen laborare voluerint, videant, an ars ipſius naturæ ſit imitatio, quam ars ipſius emendare cupit. Quoniam impoſſibile eſt ei ſecreta Philoſophorum ad perfectum finem præparare. De his ſapientes dicunt, quod ii tranſeant ad practicam, ſicut aſinus ad fœnum, neſcientes ad quid roſtrum porrigant, niſi in quantum ſenſus exteriores ſine intellectu perviſum & guſtum ad pabulum addncit. Hæc ille. Verùm ne quis nimio ſtudio, quod mare eſt inexhauſtum & immenſæ profunditatis, ſe maceret, omnemque literam, etiam cum multis aliis concordantem, in

actum

actum ducere conetur (licet fruſtra) vires, corporis ætatem, famam, opes & facultates interim abſumendo aut diminuendo, Philoſophi Emblematico hoc utuntur ſermone, quod LATONA dealbanda ſit, & libri illi rumpendi, ne corda eorum rumpantur: ſunt enim plerique libri adeò obſcurè ſcripti, ut à ſolis authoribus ſuis percipiantur. Non pauci ad ſeducendum alios ex invidia relicti, aut potius ad remorandum in curſu, ne absque difficultate metam attingant, aut ad obſcurationem à ſe anteſcriptorum. Quid autem ſit, Latonam dealbare, hoc opus hic labor eſt, inquirere. *Latonam eſſe ex Sole & Luna compoſitum corpus imperfectum* Clangor buccinæ aſſerit. Poëtæ & antiquiſſimi Scriptores, Latonam Solis & Lunæ ſeu Apollinis & Dianæ matrem ſtatuunt, alii nutricem. Priùs autem Dianam editam, (Luna enim & albedo primò apparet) quæ deinde obſtetricis munere functa ſit eâdem die in edendo ſuo fratre Apolline. Eſt autem Latona una ex 12. diis Hieroglyphicis Ægyptiorum, à quibus hæc aliæque allegoriæ ad reliquas gentes propagatæ ſunt, ſolis pauciſſimis ſacerdotibus Ægyptiis harum veram mentem & ſententiam intelligentibus, cæteris omnibus ad alia ſubjecta, quæ in rerum natura non eſſent, nempe varios Deos Deasque, ejusmodi interpretantibus. Hinc poſt Vulcanum Latona ibidem habuit templum ſumtuoſiſſimum, auro tectum & exornatum, quippe quæ Apollinis Philoſophi & Dianæ mater fuerit. Eſt autem hæc Latona fuſca & ſubnigra, multosque nævos habet in facie, qui artificio tollendi ſunt, nempe per dealbationem. Quidam ex ceruſſa, mercurio ſublimato, talco in oleum redacto & ſimilibus dealbationes faciunt, quibus externam cutim incruſtant, tegunt & ſic dealbant. At hæ incruſtationes dealbativæ quolibet flatu aut liquore decidunt: quia non penetrant ad interiora. Sed Philoſophi de talibus non curant coloritiis, quæ magis ad fallendum oculos, quam tingendum ſubſtantiam corporis interiorem adhibentur. Volunt enim, ut Latonæ facies dealbetur penetrativè & ipſa cutis alteretur, hoc eſt, verè & non fucosè. Quæri autem poſſet quomodo contingat? Reſpondeo, Latona primò inquirenda & agnoſcenda eſt, quæ etiamſi ex vili loco extrahatur, tamen ſublimanda eſt in digniorem, ſi verò ex digniori, in viliorem ſubmergenda, nempe in fimum: Ibi enim albeſcet reverà & fiet plumbum album, quo habito, non eſt, quod dubitetur de ſucceſſu, ſeu plumbo rubeo, quod eſt operis initium & finis.

Lapis, quem Saturnus, pro Jove filio devoratum, evomuit, pro monumento in Helicone mortalibus eſt poſitus.

EPIGRAMMA XII.

NOſſe cupis cauſam, tot cur Helicona *Poëtæ*
Dicant, quodque ejus cuique petendus apex?
Eſt Lapis *in ſummo*, Monumentum, *vertice poſtus,*
Pro Jove deglutiit quem vomuitque pater.
Si ceu verba ſonant rem captas, mens tibi læva eſt,
Namque eſt Saturni Chemicus *ille* Lapis.

Satur-

SAturni allegoriam diversimodè acceptam esse invenimus. Astronomi enim ad planetarum in ordine summum; Chymiæ tyrones ad metallorum infimum, nempe plumbum retulerunt. Poëtæ Ethnici pro Jovis patre, Cœli filio. Mythologi pro tempore habuerũt. Verùm hi omnes licet suo respectu rectè sensisse rationemq; suæ opinionis probabilem habuisse videantur, tamen quæ de Saturno aliàs dicuntur, non explicabunt, cur filios & lapidem pro Jove devorarit & evomuerit, cur veritatis inventor, cur falce, serpente, nigredine, morositate conspicu⁹ & loripes existat? Hoc ultimi optimè interpretari se putant, dum tempus veritatem aperire & eruere è tenebris dicunt, ut serpentem volvendo elabi, velut falce omnia morte prosternere, devorare filios, id est, omnes res, quas generârit, lapides duros cõcoquere vel absumere non posse, ideoq; eos quasi removere. At hæc conveniunt quid. ex parte, sed rei veritati & circumstantiis omnibus non quadrant. Philos. verò exercitati dicunt, in suo opere Saturnum primò adesse, qui si revera præsens sit, errari non posse, veritatem in tenebris inventam esse; Nil verò existere præter nigredinem: Unde dicunt: Quicunq; color post nigredinem advenerit, laudabilis est in turba philos. Et cùm videris materiam tuam denigrari, gaude; quia principium est operis. Et, cùm primum denigratur, clavem operis dicimus esse, quoniam non fit absq; nigredine, ut Rosarius habet ex Arnoldo. Et ex speculo; cùm in opere fueris, fac ut principio habeas colorem nigrum, & tunc certus eris quod putrefacis & viam rectam procedis. Et mox: Ista nigredo nuncupatur Terra, quæ fit levi decoctione toties reiterata, donec nigredo super emineat. Hinc iidem dicunt, quod Saturnus teneat terram, Mercurius aquam, Jupiter aërem, Sol ignem. Nigredo, itaque Saturnus est, veritatis index, qui lapidem pro Jove devorat. Nigredo enim, h.e., fusca nubes lapidem tegit primò, ne videri possit. Inde Morienes, omne corpus, inquit, cùm anima caruerit, tenebrosum & obscurum invenitur. Et Hermes: accipe cerebrum ejus, aceto acerrimo tere, vel urinâ puerorum, quousq; obscuretur. Hoc peracto vivit in putrefactione, & fuscæ nubes, quæ super ipsum fuerant

& in ſuo corpore, antequam moreretur, reverturtur. Hic lapis iterùm evomitur à Saturno cùm albeſcit, atque tunc in Heliconis apice ſtatuitur pro monumento mortalibus, ut Heſiodus ſcribit: ſub nigredine enim albedo revera latet, quæ ex ventre ejus extrahitur, hoc eſt, ex Saturni ventriculo. Hinc Democritus: *Mundifica ſtannum cum præcipua ablutione, extrahe ab eo nigredinem ejus & obſcuritatem & apparebit candor ejus.* Et in turba dicitur: *Jungite ſiccum humido, id eſt, terram nigram cum aqua ſua, & coquite, donec dealbetur.* Id Arnoldus in novo lumine cap. 4. optimè declarat cùm inquit: *Humiditas ergo quæ curabat in decoctione nigredinem, ſe deſiccatam oſtendit, dum color albus incipit apparere:* Et paulò poſt: *Et dixit mihi Magiſter meus, quod iſta brunitas aſcendebat, quod albedo extrahebatur à nigredinis ejus ventre, ſicut in turba dicitur. Cùm enim videris ipſum nigrum, ſcito quod albedo ipſius in ventre nigredinis primo apparentis occulta eſt.* Eadem nigredo ut Saturnus dicitur, ſic & plumbum: Inde *Agadimon* in turba: *Coquite æs donec exeat nigredo, quam numum vocant, & res artis noſtræ bene miſcete, & invenietis nigredinem ſtatim, quæ eſt plumbum ſapientum, de quo ſapientes in ſuis libris multa tractavere:* Huc *Emigani* dictum ſpectat, *quod Saturni ſplendor dum ſcandit in aëra, non apparet, niſi tenebratus.* Et *Platonis* in roſario: *Primum regimen Saturni eſt putrefacere & Soli imponere:* Ex quibus conſtat longè aliam eſſe mentem Philoſophorum: cùm de Saturno quid dicant, quàm à vulgo accipiatur. Hic Saturnus generat Jovem, id eſt, fuſcam albedinem, Jupiter ex Latona, Dianam, id eſt, perfectam albedinem, & Apollinem, id eſt, rubedinem; Et hæc eſt colorum omnium perfectorum ſucceſſiva permutatio: Hic lapis à Saturno ejectus pro monumento poſitus dicitur mortalibus in montis cacumine, quod veriſſimum eſt.

Æs Philoſophorum hydropicum eſt, & vult lavari ſepties in fluvio, ut Naaman leproſus in Jordane.

EPIGRAMMA XIII.

PRætumido languens æs turget hydrope Sophorum,
Inde ſalutiferas appetit illud aquas.
Utque Naman Jordane lepræ contagia movit,
Abluitur lymphis terque quaterque ſuis:
Ergo præcipites in aquam tua corpora dulcem,
Moxque feret morbis illa ſalutis opem.

QUod Naaman Syrus ex Prophetæ jussu in Judæam se contulerit, inque amne Jordane septies se abluerit, ejus confidentiæ in Prophetæ verba adscribendum, quod verò à lepra eâ lotione liberatus fuerit, divinæ omnipotentiæ miraculum est: Lepra enim quæ in sanguine & radicalibus corporis humani membris impacta, velut cancer universalis existit, nullis lotionibus externis curari aut tolli potest, multò minùs aquæ frigidæ, qualis fuit Jordanis. Eodem modo, quod æs Philos. laborans hydropisi, ab ea liberetur aquæ lotionibus, imò quod imperfectum ad perfectionem & ægrum ad sanitatem reducatur, adeò ut aliis ægris eandem impertiri possit, miraculo proximum est: Non enim in natura aliàs ejusmodi exemplum exstat, nec naturæ ordinaria via est producere tincturam Philosoph. absolutissimam, nisi ab artifice gubernetur, eique apta subjecta administrentur cum efficiente externo. Sic luxationum restitutio non est naturæ propria, sed arti; Nihilominùs miraculosè in partu humano os sacrum se aperit, ut fœtus per id exire possit, velut per ostium, inque hoc Deus Opt. Max. per naturam operatur. Ita quod lapis perficiatur, hyperphysicum quid, quamvis reverà physicum sit, videri potest: Unde Philosoph. ap. Rosarium, scias, inquit, quod lapis noster aërius & volatilis est in suo manifesto frigidus & humidus, & in suo occulto calidus & siccus est: Et illa frigiditas & humiditas, quæ in manifesto est fumus aquosus, corrumpens, denigrans & destruens se & omnia, fugit ab igne: Et caliditas & siccitas, quæ est in occulto, est aurum calidum & siccum, & est oleum mundissimum, penetrativum in corporibus: & non est fugitivum, quia caliditas & siccitas Alchymiæ tingit, & non aliud: Fac ergo, quod frigiditas & humiditas aquosa, quæ est in manifesto, sit compar caliditati & siccitati, quæ est in occulto, ita ut insimul conveniant & conjungantur, & fiant insimul unà penetrans, tingens & profundans: Has autem humiditates oportet destrui per ignem & gradus ignis cum molli temperamento, & congrua ac moderata digestione. Hæc ibi. Quod si verum, quomodo aquis ab aquis liberari poterit? sed respondendum, esse quasdam aquas calidas & siccas in qualita-

litate, quales ſunt multæ thermæ, in quibus Philoſophicè abluendum ſit: Hoc enim eſt, quod dicunt, lava igne & combure aqua: Nam ignis, qui lavat, & aqua, quæ comburit, non niſi nomine ab invicem diſtant, effectu & operatione conveniunt: Hac itaque aqua, vel hoc igne illud æs abluendum à ſuperfluis ſuis humiditatibus, id eſt, exiccandum erit: De hydropicis curatis per ſemeſtrem abſtinentiam ab omni potu, per ſepelitionem in arena calida aut fimo bubulo, per incluſionem in furno calido, & ſudationem, aliaque innumera auxilia, experimenta novimus, imò etiam per thermas exiccantes, ut ſunt Carolinæ & Wisbadenſes non procul à Moguntia: Iisdem modis hic æger curandꝰ erit, nunc aquis, nunc aêre calido furnorum, nunc fimis, modò arenis & à potu abſtinentia: ſunt enim hæc remedia efficaciſſima in utroque caſu, hîc & ibi adhibenda: In omnibus autem hiſce calor operator eſt, qui aquas ſuperfluas per emunctoria, vel etiam poros corporis educit & conſumit: Exterior enim calor interiorem excitat, hoc eſt, ſpiritus vitales, ut expellant ſibi noxium humorem, tanquam inutile excrementum, à quo calor naturalis, tanquam ab hoſte antea ſuppreſſus erat: Magnâ in hac curatione diligentiâ opus eſt & præcautione, ne dum uni viſcerum ſuccurratur, alterum lædatur: In Quartana (Platonica Medici comprobatione) experti ſumus, quod humores craſſi & viſcoſi inſtar gummi aut viſci arborum ex omnibus venis & maſſa ſanguinea congregati per venam cavam ſeu magnam deſcendant usque ad dorſi profunditatem, ubi cùm obſtruant venas emulgentes, quæ ex ſanguine ſeroſum humorem eliciunt, vel oſtia illarum, minùs operari illæ poterunt, & plus liquoris ſeroſi manet in corpore, atque ſic brevi, niſi proſpiciatur, hydrops contingere poterit etiam illæſis aliis viſceribus primario: Diuretica hîc parum aut nihil proſunt, purgantia adhuc minùs, niſi ſucceſſu temporis impacti fiat diminutio & eductio: ſudorifica etiam manifeſtè nocent, quia ſubtiliores partes educant, relictis craſſioribus & continuata vires proſternant: ſolet enim natura eam viam ſibi per poros invenire ad ſeroſitates evacuandas, cùm illa ad veſicam præcluſa eſt. Hæc itaque Scylla, altera Charybdis eſt, quam utramque evitare oportet eum, qui ſibi proſpectum velit. Qui verò hydrops ex læſo epate aut liene accidit, ſi ſit confirmatus, difficilimæ eſt curationis: In ære autem Philoſophico cura non eſt impoſſibilis, cùm affectus potiùs ſit per accidens & ſecundarius, quàm eſſentialis aut primarius, dummodò cautè incipiatur, ut de copia ſeri diximus in quartana, ne ſcilicet nimiâ exſiccatione in tabem, aut humectatione in hydropem curatu difficilem incidat.

Hic

Hic eſt Draco caudam ſuam devorans.



EPIGRAMMA XIV.

DIra fames Polypos docuit ſua rodere crura,
Humanaque homines ſe nutriiſſe dape.
Dente Draco caudam dum mordet & ingerit alvo,
Magnâ parte ſui fit cibus ipſe ſibi.
Ille domandus erit ferro, fame, carcere, donec
Se voret & revomat, ſe necet & pariat.

Vete-

VEteres dixêre, quod ſerpens, qui ſerpentem devorarit, fiat draco: Sævit enim in proprium genus ut latro & ſicarius in ſuum. Tales eſſe in Africa, tanta magnitudine & copia conſtat, ut magnam partem Alexandrini exercitus deleverint. Apud Aſachæos Æthiopum populos naſcuntur maximi, qui cratium modo impliciti erectis capitibus velificant ad meliora pabula. Ferunt Indorum reges duos dracones aluiſſe, alterum octogenûm, alterum verò nonagenûm cubitorum magnitudine: Ex recentiorum quoq; hoc tempore obſervatione innotuit, tales adhuc prope Angolam inveniri, ut malos ingentes navium exæquent. Sic in Indiæ & Africæ montibus quibusdam referunt magnam eſſe auri vim, ſed cuſtodiri à draconibus, ne quis eò accedat & auferat: Ad fontes enim ſeu rivos, qui ex montibus decidunt, convenium dracones & ſic per accidens apud aurum excubias agere dicuntur. Hinc à Philoſophis tot dracones aut ſerpentes ſuis theſauris aſſcribuntur, ut Velleri aureo, Horto Heſperidum, aliisque perſonis ſeu ſubjectis chymicis, Cadmo, Saturno, Æſculapio, Mercurio, cujus caduceum gemini ſerpentes cingunt, mas & fœmina. Per Dracones verò illi nihil aliud intelligunt quàm ſubjecta chymica. Hinc dicunt: Dant Rebis montes dracones terraque fontes: Et quod Draco caudam ſuam devoret, famem ejus maximam denotantes. Quod licet alii exponant de anno in ſe redeunte & circulum referente, tamen primitus à Philoſophis ſuis rebus accommodatum fuit, qui per hunc draconem intelligi volunt ſerpentem, qui alium ſui generis devoret, & hic vocatur propriè ſulphur; prout omnes innumeris locis teſtantur. Lullius in codicillo cap. 31. Hoc eſt, inquit, ſulphur, fili, & hic coluber & draco devorans caudam ſuam, Leo rugiens & gladius acutus, ſcindens omnia, mortificans & confringens. Et Roſarius: Draco non moritur, niſi cum fratre & ſorore ſua interficiatur. Et mox: Draco eſt argentum vivum extractum à corporibus, habens in ſe corpus, animam & ſpiritum. Hæc aqua alio nomine ibidem dicitur fœtida, quæ habetur poſt ſeparationem Elementorum. Devorare autem draco caudam ſuam traditur, cùm partem volubilem,

venenoſam & humidam abſumat, ut poſt absque cauda videatur corpulentior & tardior, ſiquidem motus & volubilitas ejus magna ex parte ratione caudæ contigerit. Cætera animalia innituntur pedibus, at dracones, ſerpentes & id genus vermes conſtrictione & explicatione cor-poris pro pedibus utuntur, & veluti aqua effuſa in certos circuitus definiunt, nunc huc, nunc illuc ſe flectendo, ut in fluviis ferè omnibus videre eſt, quomodo inſtar ſerpentum curſus ſuos inflectant & gyris obliquent. Hinc argentum vivum ſerpentem non absq; cauſa vocârunt, & Mercurio ſerpentes adhibuerunt, cùm & caudam quaſi trahat, & nunc huc, nunc illuc volubili pondere procurrat: Serpens enim ut ſerpit, ſic & Mercurius, qui alas in pedib⁹ & capite propterea habet. In Africa ſerpentes volatiles eſſe ferunt, qui depopularentur omnia, niſi ab Ibide vaſtarentur. Unde Ibis inter Ægyptias imagines ſacras ſtatuitur, tum propter manifeſtam utilitatem, quam toti regioni præſtat, tum propter occultam rationem, quam pauciores intellexerunt. Draco hic demorſa cauda, pelle veteri abjecta novam acquirere una cum juventute dicitur, ut non ſolum cornicibus, corvis, aquilis & cervis natura vitam longiorem conceſſerit, ſed etiam ſerpentino generi. Formica ſeneſcens alas acquirit, ſic quoq; multi vermes. Homo ſeneſcens terræ mandatur, at ex terra redivivus æternæ vitæ conſecrabitur. Ex quolibet ſerpente combuſto fit pulvis, qui aſſumitur contra omnia venena innoxiè cum magno effectu. Ejusmodi Alexipharmacum fieri quoque debet ex hoc dracone, qui jam caudam ſuam (quæ in viperis amputari ſolet) devoravit, contra fortunæ & corporis mala præſentiſſimum remedium.

Opus

Opus figuli, consistens in sicco & humido, te doceat.

EPIGRAMMA XV.

ASpice quàm celeri figulus sua vasa figuret
Axe rotæ, argillam dum pede miscet aquæ:
In binis illi est fiducia rebus, ut humor
Pulveribus siccis temperet arte sitim.
Sic quoque tu facies exemplo doctior isto,
Terram aqua ne superet, nec superetur humo.

UT orbis hic terræ & aquæ complexu conglobatus est in unum corpus rotundum, sic quoq; figulinum op⁹ ex iisdem elementis particulatim compositum videtur, nempe ex sicco & humido, ut unum temperet aliud: si enim terra esset absq; aqua, nec Ocean⁹, mare, lacus, fluvii, fontesve existerent prope terram, ipsa nihil ex se ferret, sed sterilis maneret: Sic nisi aqua esset intra cavitates terræ recepta, at circum illam staret, facilè totam rerram tegeret, atque ita eadem inhabitabilis maneret: Verùm cùm una in aliam amicabiliter intrârit, & aqua terræ siccitatem, hæc illius humiditatem moderata sit mutua sui commixtione, hinc fertilitas & commoditas utriusq; elementi conspicitur: simili modo figulus lutum aquæ miscet, ut massam inde tractabilem efficiat, quam rota sua efformat, & aëri exponit calido, ut pedetentim exsiccetur: Post addit ignis violentiã, ut probè indurentur, & in lapidem durabilem ejus vasa coalescant, quæ & aquæ & igni resistant: Sic quoque in opere naturali procedi ipsi Philosophi attestantur, ideoque documentum à figulis sumi debere asserunt. Quoad siccum enim & humidum, h.e. terram, & aquã in utroq; multum adfinitatis esse: Verùm in modo coctionis & elementorum componendorum materia & forma plurimum differentiæ existere non dubitam⁹: Figulinæ enim testæ artificialem formam, tinctura Philosophica naturalem omninò habet, iisque tantò nobiliorem, quantò hujus materia illarum excellentior: Utrumque opus terreum quidem est, at in Philosophico nihil esse dicitur, quod cœlum aëris non petierit, in illo terra crassa, & fœculenta prędominatur: Effectus utrobiq; lapis est, ibi communis, hic Philosophicus: Quo nomine persona quædam seducta factitios lapides seu lateres magno numero cistæ inclusit uni, alteri verò silices candidiores ad certum tempus, Diabolicis conjurationibus desuper factis, quibus hi in argentum, illi in aurum purum converti debuerunt: At cùm hi Philosophorum lapides esse putarentur, ideoque magna pecuniæ summa in varias res coëmendas effusa esset, dum expectaretur novum aurum & argentum, ad certum tempus, quo cùm id non appareret, nec lapides in aurum, quod sperabatur, conversi essent, pudo-

rem

rem mors finiit: Non enim inde, in quo naturaliter non ineſt, peti debet aurum vel argentum, cùm Magia diabolica in operibus hiſce divinis locum non inveniat, ſed tantum ab iis diſtet, quantum ejus author ab homine devoto & pio, infernus à cœlo: Ita etiamſi verus lapis Philoſophicus habeatur, non tamen quisquam ſibi perſuadeat, res impoſſibiles hoc præſtari poſſe, ut Iſaac admonet: Cùm ad impoſſibilia nemo adſtringatur, tam per leges naturæ, quàm Politiæ: Inde de gemmarum per eum transmutatione, vitrique malleabilitate præſtãda, quilibet ipſe dignoſcat, an hæres ſint poſſibiles, & huic naturæ conveniant nec ne: Multa per allegoriam dicere Philoſophos Geber affirmat, & de ſeipſo, quod ubi clarè locutus ſit, nihil dixerit, ubi autem per figuram, ibi veritatem, tanquam triticum ſub paleis abſconderit. Quæ quis ſeminat, eadem & metet, quod in vegetabilibus & animalibus locum habet, quamvis diverſę ſpecies à ſeminatis aliquando proveniant: An hæc metallis applicari debeant, quæ non per ſemina propagantur, ut illa, conſiderandum erit: In his partes ſolumodò ſunt homogeneæ, ſulfur & argentum vivum, in iſtis heterogeneæ ſeu organicæ exiſtunt: In his nulla receptacula ſeminis, in iſtis verò ſunt: In his nulla nutritio, augmentatio aut extenſio in omnes dimenſiones invenitur, in illis maximè: Imò hæc ſunt elementata pondera ſolã mixtionem agnoſcentia; illa etiam præter mixtionem, animam vel vegetativam vel ſenſitivam: Nihilominùs eſſe aliquid in ſubterraneis locis, quod jam non eſt aurum per naturam, absque dubio verum eſt: Hoc quis eſſe auri ſemen analogum negabit? Cumque aurum & natura aurifica ſint unius originis, licet hæc nobilioris formæ, ideoque cognito auri ſemine, de hujus quoque conſtabit: Philoſophi ſiccum & humidum, ſeu ſulphur & argentum vivum id eſſe affirmant, quod puriſſimum ex duobus montibus petendum ſit.

Hic Leo, quas plumas non habet, alter habet.

EPIGRAMMA XVI.

Victor quadrupedum Leo *pectore fortis & ungue*
Absque metu pugnat, dissimulatque fugam:
Aligeram cui tu pedibus conjunge Leænam,
Quæ volat & secum vult relevare marem:
Ille sed immotus stat humo, retinetque volantem,
Hæc tibi naturæ monstret imago viam.

Leo-

LEonem non tam magnitudine & robore corporis quàm generositate cæteris prævalere animalibus, ab experientia notũ est. Si in venatu videatur, erubescens dare terga, sese paulatim recipit, si multitudine opprimatur: Remotus ab abspectu venantium, fugam properè molitur, turpitudinem absconsione purgari existimans: Saltu caret in fuga, quo utitur, dum quid insectatur. Ejus ossa solida sunt minimeque vacua, quæ adeò dura dicuntur, ut inter se concussa ignem velut ex chalybe & silice reddant. Omnium maximè ignes reformidat. Videtur ex natura Solis substantiam deducere. Nam impetu & calore cætera præstat animalia, uti Sol sydera, præterea oculis semper igneis & patentib⁹ cernitur, ut Sol patenti igneoque oculo terram conspicit. Leæna pro catulis dimicans oculos in terram defigit, ne venabula expaveſcat. Leo ubi Pardi coitum sentit, in adultera leæna supplicium sumit, & tota vi consurgit in pœnam. Propterea leæna culpam & odorem flumine abluit, aut conscia sceleris & masculi metu fugientem adulterum comitatur. Quam miram hujus beluæ naturam dum Philosophi contemplantur, de Leone varias allegorias, quasi hieroglyphicas scripturas de suo arcano opere attestantes, produxerunt. Leonem esse animal constans, firmum, dolis carens & suspicione animadvertentes, potiorem suæ compositionis Philosoph. partem huic assimilarunt. Ut enim ipse non fugit, sic nec hæc: ille solidis ossibus, ita hæc fixa & vinci nescia. Leæna verò ab adulterio uti non est semper libera aut immunis, ita nec Luna seu Mercurius omni macula caret, sed ab ignaris nunc huic, mox illi materiæ adjungitur, unde potius adultera conjunctio rerum in natura discrepantium, quàm verum matrimonium committitur: Ex pardo enim & leæna geniti, non habent speciosas circa colla, & armos jubas; quo insigni ornantur solùm concepti ex Leone. Leæna itaque philosophica suo proprio mari conjungatur, & genuinus generosusque inde nascetur leunculus, qui ex ungue facilè agnosci poterit. Oportet verò leænam esse non quamvis, sed alatam, quæ cum leone pugnas inire possit, freta suarum plumarum pernicitate; ne scilicet illius nimia iracundia supprimatur, sed si quan-

quando absque causa in furorem incidat, fugam meditari. Ipse enim dum fugituram moratur, majori erga eam amore incitatur, post litem factâ amicitiâ. Verùm quis unquam, dices, vidit leænam alatam, aut plumæ leænæ quid profuerint? Prope Cythæronem montem vallis est profunda, in qua non nisi leænæ volatiles visuntur: In ipso verò montis ejusdem vertice Leo rubens versatur ex eo genere, quod Hercules trucidavit. Captandus itaque Leo est, & in vallem ducendus, & mox leænæ alatæ copulabitur: Illa quoque facilè se superari patietur, nempe par à pari. Post ex valle dicta in montis cacumen uterque sublimandus erit, & ab hinc nunquam à se invicem fugient, at semper inviolato fœdere commanebunt. Leonum captura, fateor, non est facilis, sed multis periculis obnoxia, nihilominus instituenda erit. Leo non pascitur cum leæna, sed separatim errat, ut tradunt. Hinc cujusque indagatio & venatio seorsim fieri debet: Quod si verò utrique à primis unguiculis, cùm primò incedere incipiant, quod fit post secundum à partu mensem, pulli leonini conquirantur, & adultiores facti, ut dictum, conjungantur, res carebit omni periculo. Nascuntur autem verno tempore, quod observandum, apertis oculis. Cùm verò post partum Leones obliquo ingrediantur itinere, ne cubile deprehendatur, ideò summâ diligentiâ & curâ inquirendi, eorumque pulli auferendi erunt.

Orbi-

Orbita quadruplex hoc regit ignis opus.



EPIGRAMMA XVII.

NAturæ qui imitaris opus, tibi quattuor orbes
Quærendi, interius quos levis ignis agat.
Imus Vulcanum referat, bene monſtret at alter
Mercurium, Lunam tertius orbis habet:
Quartus, Apollo, tuus, naturæ auditur & ignis,
Ducat in arte manus illa catena tuas.

PHILOSOPHI de quatuor ignium generibus ad opus naturale neceſſariis multis in locis meminerunt, nempe Lullius, Author Scalæ, Riplæus, & alii quamplurimi: Et hinc loquens de ignibus, (Scala inquit) *Raymundus: Notandum eſt quod hic jacent contrariæ operationes: Quia ſicut ignis contra naturam diſſolvit ſpiritum corporis fixi in aquam nubis, & corpus ſpiritus volatilis conſtringit in terram congelatam, ita contrario ignis naturæ congelat ſpiritum diſſolutum, corporis fixi in terram globoſam, & corpus ſpiritus volatilis fixum per ignem contra naturam reſolvit non in aquam nubis, ſed in aquam Philoſ. Riplæus* clariùs de hiſce ignib. Porta 3. ſic loquitur: *Quatuor ſunt ignium genera, quæ ſcire debes, naturalis, innaturalis, & contra naturam, elementalisq;, qui accendit lignum: His ignibus utimur, & non plurib. Ignis contra naturam debet excruciare corpora, ipſe eſt draco, quemadmodum tibi dico, violenter comburens, ut ignis inferni. Ignis naturæ eſt tertium menſtruum, ille ignis naturaliter ineſt cuiq; rei: Ignem occaſionatum vocamus innaturalem, ut calorem cinerum & balneorum ad putrefaciendum: Abſq; his ignibus tu nihil perduxeris ad putrefactionem, ut poſſit ſeparari tua materia, ut ſimul ſit proportionata ad novam conjunctionem: Fac igitur ignem intus in tuo vitro, qui comburat corpora efficacius, quàm ignis elementalis.* Hæcilli: Ignes verò dicuntur, quia virtutem igneam habent, naturalis coagulando, innaturalis diſſolvendo, contra naturam, corrumpendo, elementalis, calorem & primum motum adminiſtrando: Atq; in his catenatus ordo obſervatur, ut ſecundus à primo, tertius à ſecundo, quartus à tertio & primo ſimul incitetur ad actionem, ſic ut unus ſit agens, & alter patiens, idemq; agens & patiens diverſo reſpectu: Quod in annulis ſeu ſtylis ferreis per magnetem continuatis, & mutuo attactu connexis animadvertitur, idem in hiſce ignibus Elementalis enim inſtar magnetis, vim ſuam mittit per ſecundum & tertium ad quartum uſq;, & unum alteri per operationes mutuas conjungit & cohærere facit, donec interna actio inter ſuperiores peracta ſit. Primus eſt ignis elementalis re & nomine, ſecundus aër eſt ſive aërius, tertius aqueus ſeu lunaris naturæ, quartus terreus: De primo ſuperva-

ſupervacaneum eſt, aliquid dicere, quia omni videnti & tangenti cognitus eſt: Tres reliqui ſunt dracones, menſtrua, aquæ, ſulfura & Mercurii: Dracones, quia venenoſitatis participes, devorent ſui generis ſerpentes, corpora ſibi commixta atterant & alterent, hoc eſt, ſolvant & coagulent: Menſtrua dicuntur, quia ex illis fœtus Philoſophicus producitur & nutritur, uſq; ad ejus nativitatem: Lullius in lib. de quinta eſſent. diſt. 3. duplex habet menſtruum, vegetabile & minerale; Riplæus in prefatione portarum triplex, quæ reverà unum ſunt & conveniunt: Ex omnibus enim illis ſimul fit generatio fœtus & aqua alba ejus ortum prȩcedit, quæ non eſt de ſubſtantia fœtus ſed ſuperfluitate, ideóq; ſegreganda: Aquę ſunt, quia aqueam naturam in igne oſtendunt, hoc eſt, fluxum & liquiditatem, quæ aquæ convenit: Aquarum eſſe diverſas & mirabiles proprietates conſtat, quarum aliæ ſunt lapideſcentes, dum in duriſſimos tophos ad ædificia hominum peraptos coagulantur. Hiſce perſimiles ſunt aquę Philoſophicæ minerales, quæ indureſcunt, & in lapideam reſiſtentiam tranſeunt: Sulphura quoq; appellantur ob ſulphuris virtutem, quam in ſe habent: Nam ſulphur naturæ cum alio ſulphure miſcetur & fit unum, & duo ſulphura ab uno ſolvuntur, unumq; à duob. ſegregatur, & ſulphura à ſulphuribus continentur, ut Yximidius in turba inquit: Quid autem ſulphura ſint ibidem Dardaris declarat his verbis: Sunt autem ſulphura animæ occultæ in quatuor elementis, quæ per artem extractæ ſe invicem continent naturaliter & conjunguntur: ſi autem occultum, quod eſt in ventre ſulphuris, aqua regatis & bene mundetis, occultum obvians ſuæ naturæ lætatur, ſimiliter aqua pari ſuo. *Moſius* quoq; *dicam*, inquit, *vobis jam quid ſit: Unum quidem, quod eſt argentum vivum igneum, duo, corpus in eo compoſitum, & tertium eſt aqua ſulphuris, qua abluitur & teritur ac regitur unum, donec opus peragatur:* Quod de ſulphuribus dictum, idem de totidem Mercuriis intelligendum erit: Sic enim ille ipſe Moſius in ſequentibus: *Argentum vivum Cambar eſt magneſia, argentum verò vivum ſeu aur ipigmentum eſt ſulphur, quod aſcendit de compoſito miſto:* ſed teſtimonia, cùm ſint infinita & cuique obvia, intermittam huc plura adducere: Hi quatuor ignes quaſi ſphæris & orbibus incluſi ſunt, hoc eſt, ſinguli habent ſingula centra, à quibus vel ad quæ eorum tendat motio, at nihilominùs ita partim à natura, partim ab arte colligati obſervantur, ut unus absque alio nil aut parum operetur, imò unius actio alterius ſit paſſio, & econtra.

Ignire ignis amat, non aurificare, ſed aurum.

EPIGRAMMA XVIII.

Si quod agens fuerit naturæ, mittit in orbem
Vires atque ſuas multiplicare cupit.
Oba ſic ignis facit ignea cuncta, nec eſt res,
Abſque ſua cauſa, nobile quæ det opus.
Aurum nil ignit per ſe, nil ignis inaurat,
Quodlibet agnoſcit quod ſibi ſemen ineſt.

NATURÆ operandi ratio est in omnibus universi individuis, ut simplici utatur processu ad unum simplicem motum perficiendum, quemadmodum apparet in Anatomia corporis humani, in quo unus musculus tantùm uni inservit motui, nempe attractivo, expansivo verò alter primo oppositus, ita ut, si in gyrum aliquod membrum ducendum sit, id variis in circulum positis musculis efficiatur: Ita ignis operatio una & simplex est, ut nimirum calefaciat & igniat, imò sibi assimilet & comburat omnia, quibus admovetur, si sint combustibilia: Hinc Avicenna in lib. de congelatione lapidum, quod cadit, inquit, in salinas, fit sal, & quod in ignem, fit ignis, sed quædam citius & quædam tardius, secundùm potentiam activarum & resistentiam passivarum: Estq; locus in Arabia, qui colorat omnia corpora in ea existentia, suo colore: Ita singulæ res naturales sibi à natura infusam virtutem possident, qua agant in sibi mixta vel admota assimilando & alterando eorum naturam & formam: Quod in vegetabilib. & animalibus generatio est per seminum propagationem, hoc in simplicibus vel simpliciter mixtis corporibus est virtutis infusio & assimilatio: Sol, cœli lumen, radios de sese projicit in terras, qui collecti in concavis vel comburentibus speculis, demonstrant sese à tali causa productos esse, ac quasi formas projectibiles Solis videri: Unde constat radios solares nihil aliud esse, quàm flammam igneam extensam & dispersam in amplam latitudinem, quæ collecta & iterum in se condensata instrumentis concavis, diaphanis & circularibus vel repercussivis, concavis & chalybeis speculis, uti flamma emicat & obvia comburit: Eundem ad modum in quodam elementato corpore virtus quædam, velut vapor, dispergitur, quæ si colligatur & attrahatur in unum, fit aqua & ex ea aqua terra: Hinc Avicenna ante allegato loco, ex aqua, inquit, fit terra, cum vincunt eam qualitates terre & è converso. Est autem res quædam, quâ utuntur quidam ingenioſi cum volunt rem siccam coagulare, quæ componitur ex duab. aquis, & dicitur lac virginis, quod est ejus effectus certissimus. Hæc ille: Sunt, qui promittant, se in ma-

gnete lapide vires duplicare vel multiplicare posse, veluti ejusmodi nobis visus est argento incluſus vix pondere unius libræ, qui anchoram ferream 28. librarum attraxit & sustinuit, quod impossibile fuisset, nisi vis auctior & fortior reddita in eo extitisset; quod absque dubio per revocationem dispersarum virtutum in unum quasi punctum seu polum, factum fuit, vel ex magno corpore in minus attractionem ea rundem; Inveniuntur alii, quid plumbificum lapidem ex Saturnî sulfurea aurâ in Mercurium vulgi donec inde coaguletur, infusa, & retentâ, fieri posse dicant, qui Mercurium communem continuè convertat in plumbum. Quidam ex antimonio vel ejus stellato Regulo cuprum ex cupri odore, eo temporis spatio, quo quis ovum comedat, efficere posse jactant, imò omnia metalla feciſſe: verùm illis sua sit debita fides, quamvis in hoc mihi non fiat verisimile: Audaciores, nescio an feliciores sunt, qui aurum ex auro deducere conantur juxta Poëtæ aurei dictum: Hordea cui cordi, demum serit hordea, in auro semina sunt auri. Habet quidem quælibet res naturalis vim quandam sese multiplicandi, at hæc in vegetabilibus & animalibus saltem in actum proferuntur, neutiquam in metallis mineralibus, terræ fossilibus aut meteoris: Plantarum quædam ex parvo seminii grano ortæ dant non rarò mille aut plura seminum grana, seque ita multiplicant & propagant, idque annuatim; Animalia & suos habent fœtus magni vel parvi numeri, pro cujusque natura. At aurum, argentum, plumbum, stannum, ferrum, cuprum aut argentum vivum nunquam inventum est eo modo sese vel suam speciem multiplicasse, licet unum in aliud commutatum & nobilitatum sæpissimè repertum sit: Nihilominus Philosophi affirmant, ut in igne ignificandi principium extat, sic in auro aurificandi: verùm tinctura quæritur, cujus medio aurum fiat: Hæc indaganda est in suis propriis principiis & generationibus non in alienis: Nam si ignis ignem producat, pyrus pyrum, equus equum tum plumbum plumbum & non argentum, aurum aurum & non tincturam generabit: Adhæc aurum Philosophis proprium est, quod non negant pro fermento in fine operis Lapidi aurifico adjici debere, sed necessario requiri quoque asserunt. Cum fermentum ducat fermentatum in sui naturam, sine quo tota compositio ad perfectionem nunquam rediret.

Si de

Si de quattuor unum occidas, ſubitò mortuus omnis erit.

EPIGRAMMA XIX.

Bis duo ſtant fratres longo ordine, pondera terræ
Quorum unus dextra ſuſtinet, alter aquæ:
Aëris atque ignis reliquis eſt portio, ſi vis
Ut pereant, unum tu modo morte premas:
Et conſanguineo tollentur funere cuncti,
Naturæ quia eos mutua vincla ligant.

POETÆ fingunt Geryonem Hiſpaniæ Regem tricorporem extitiſſe, qui boves purpurei coloris habuerit, quibus canis capitum duorum & Draco ſeptem, ut excubitores præfecti erant: Ipſe autem Geryon Chryſaoris ex ſanguine Meduſæ nati filius, & Draco Typhonis & Echidnæ, traditur: Quæ cùm nulli hiſtoriæ aut rei, prout ſonat, veritati conveniant, & in omnibus Chymicis allegoriis applaudant, non immeritò hiſce à nobis aggregata ſunt. Per Geryonis verò terna corpora, tres facies in uno patre viſas, juxta Hermetis mentem, intelligimus, vel, ut alii volunt, quatuor, ad elementa totidem reſpicientes: Ex quadrangulo enim debet fieri triangulus, ut ille ex circulo factus, ſic hic in circulum reverſurus: Eſt autem corporum Geryonis, aut elementorum tanta conſanguinitas & naturalis conjunctio, ut uno ſuperato vel occiſo, & reliqua ex ſeſe concidant & putrefiant, absq; ulla vi manuali adhibita. De bicorporibus notum eſt, quod uno mortuo & alter tabeſcat: quemadmodum puerum 4. annorum ætatis in Italia vidimus bicorporem, qui fratris ſibi adhærentis caput intra ſuum corpus abscondebat, cætera propendebant umbilicotenus, in quo colligati ſeu connati erant: Quod ſi ille, qui propendebat, & quia longè minor, geſtabatur ab alio, duriùs circa manus aut pedes tangeretur, hinc major dolorem ſenſit, imò & famen, ſi minor exinanitus cibo foret. Atq; hæc eſt naturæ combinatio & ſympathia, quâ membra & partes unius corporis vel cum alio connati afficiuntur, & in ſe invicem commoventur; Ex quibus ſi unum ſit ſanum & illæſum, non tamen inde reliqua neceſſariò ſana aut illæſa manent, ſi verò læſum graviter, & reliqua compatiuntur, eodemq; malo pereunt: Sic ſi vicinus multum lucri faciat, inde nihil commodi ad vicinum pervenit, at ſi incendium patiatur, plurimum mali: Nam tua res agitur paries cùm proximus ardet. Ex unius itaq; horum quatuor fratrum interitu, quod & alii tres moriantur, non eſt à veritate abſonum, cùm id variis modis contingere poſſit, vel quia uno partu & patre ac matre editi eosdem vitæ terminos, ut initia, experti ſint, ut quibusdam contigiſſe legimus, fortè ex aſtrorum inclina-

clinatione, vel quia non solùm animis, sed & corporis artubus cohæreant, vel mentis consternatione, forti imaginatione in pestifera lue, vel ex fœderis voto: In India sub imperio magni illius Mogolli (qui nonus nunc ex posteris Tamberlani ibi regnat) gens quædam Ethnica degit Pythagoricorum nomine, apud quam ab antiquo tempore hic mos observatur huc usq; ut si maritus moriatur, uxor ejus igne comburatur, aut ut nunc, perpetuò in summa infamia vivat, derelicta ab omnibus & quasi pro mortua habita, quod ideò factum, ne venenis uxores viris suis vitam abrumperent, nisi & ipsæ mori vellent: Sic in opere Philosophico, uno ex fratribus mortuo, & alii igne pereunt, non coactè, sed ultrò, ne cum mœstitia & infamia superstites vivant: Aut si unus petatur fuste, ferro vel lapide, ipse intestinum bellum cum fratribus incipiet, ut patet in Terrigenis ex dentibus draconis natis contra Jasonem, & alibi etiam contra Cadmum insurgentibus, atque sic omnes mutua internecione cadent: Tange enim vel lædé aërigerum, & ipse insurget in duos simul, sibi propinquiores, nempe aquarium & igniferum, sed hi utrinq; in terrigerum & primam pugnam cientem se opponent tamdiu, donec mutua sibi dederint & acceperint vulnera, quibus extinguantur: Ita enim comparatum est cum fratribus, quod quò se impensius & acriùs ament, si semel se inceperint odisse, irreconciliandi sint, sed se ad necem persequantur, veluti ex melle dulcissimo in calidiori stomacho aut epate corrupto bilis amarissima generatur. Interfice ergo vivum, sed ita, ut mortuum resuscites, aliàs mors occisi tibi nihil profuerit; Mors enim illum revelabit, nempe dum resurget, & fugient ab eo mors, tenebræ & mare, ut Hermes testatur, Solisque radios Draco fugiet, *Cap. 3.* qui foramina observabat, filiusque noster mortuus vivit, & Rex ab igne venit: *Belinus* in sua metaphora apud *Rosarium* idem innuit, cùm dicit: *Et hoc fiat, quando extraxeris me partim à natura mea, & partim uxorem meam à natura sua, & postea occidatis naturas & suscitamur resurrectione nova & incorporali, eò quod postea mori non possumus.*

Naturam natura docet, debellet ut ignem.

EPIGRAMMA XX.

FLamma, vorat quæ cuncta, velut Draco, gnaviter urſit
Virginis eximium vi ſuperare decus:
Hinc lachrymis ſuffuſa viro dum fortè videtur,
Ille fuit miſeræ ferre paratus opem.
Protinus hanc clypeo velans contendit in hoſtem,
Et docuit tantas ſpernere mente minas.

COMMUNE Philoſophorum ſymbolum eſt, quo ſe mutuo agnoſcant, naturam à natura duci, doceri, regi, ſuperari, nempe diſcipulam à magiſtra, pediſſequam à domina, ſubjectam à regina, imò filiam à matre & affinem ab affini: Id quàm verum ſit, à quotidiana patet experientia in educatione ſobolis apud homines, aliisque actionibus, ut literaria inſtitutione, dominatione & ſimilibus. De luſciniis ſcribit Plinius, quod una aliam in canendo eruditat, attendat, obſervet, imitetur, vincat aut ſe victam doleat, quodque in certamine aliquando ſuperata gutture rupto, pereat & in medio cantu exanimis cadat: Videmus quoq; quomodo omnia avium genera ſuos pullos adhuc implumes ac teneros ad volatum incipiant aſſuefacere & inſtituere, ut non ſolùm in illis natura, ſed quoque ars aut uſus volandi habitum comparârit, quamvis potentiam & organa ad eam actionem exercendam ſola natura dederit, ſine quibus nec inſtitutio ſeu ars fundamentum aut locum inveniat: Ita hinni ad curſum ab equa, catuli ad latratum à cane & vulpeculæ ad dolos inſtruuntur, nec ulla natura ſeu naturæ ſpecies animata & ſenſitiva invenitur, quæ non aliam naturam, nempe ſuam ſobolem ducat, doceat & regat, vel ab alia, nempe parentc, ſe ſuperari patiatur. In vegetabilibus diſciplinam ejusmodi non animadvertimus, attamen uſus in illis hominumq; manus plurimũ valere obſervatur; Nam dum meſſis in herba eſt, expurgari ab inutilibus carduis, lolioq; poteſt, dum arbor adhuc virga exiſtit, incurvari & ad placitum ut creſcat, cogi poteſt; Sic in metallis & Philoſoph. ſubjectis una natura aliam in igne tenet, conſervat & tutatur; prout notum eſt fuſoribus & docimaſtis, inprimis verò rerum naturalium magiſtris: Ferrum argento & auro adhuc tenello & ſpirituali, ut vocant, in mineris ſuis cum Cadmia, arſenico, antimoniove prædatore commixto, plurimum ſubvenit & obſtetricem manum præbet, ſi in igne furnorum in mineras exurendas conjiciatur; Eodem modo ipſum ferrum, ſi in chalybem mutari debeat, ne comburatur, ſalvatur lapidibus albis ad littora maris inventis: Nonnulli pulveribus metallicis liquefaciendis ne pereant

nimio igne, ſuperinjiciunt vitri criſtallini pulveres, aut fel vitri: Hujus vice Philoſ. ſua Eudica utuntur, quam Morienus dicit eſſe quoq; fel vitri & in vitreis vaſis quærendam: Calor enim ignis corpus ipſum feſtina combuſtione conſumit: At Eudica ei apponitur, ipſa corpora in terram mutata ab omni combuſtione curabit: Nam corpora poſtquam ſuas jam non retinent animas, citò comburuntur: Eudica (fœx vitri) quidem bene omnibus corporibus convenit: nam ea vivificat & aptat, & ab omni combuſtione defendit: Hæc Morienus Romanus. Hæc itaq; eſt natura, quæ docet aliam naturam contra ignem pugnare, eiq; aſſuefieri, quæ eſt magiſtra inſtituens diſcipulam, & ſi bene reſpicias, quæ eſt regina regens ſubjectam, & quæ eſt filia nobilitans matrem; Hic eſt ſervus ille rubens, qui matri ſuæ odoriferæ matrimonio conjungitur, & ex illa generat parentibus ſuis longè nobiliorem progeniem: Hic eſt Pyrrhus Achillis filius & juvenis rubri capillitii, aurei veſtimenti, oculis nigris, pedibus albis: Hic eſt eques torquatus gladio & ſcuto contra draconem armatus, ut ex faucibus ejus eripiat virginem inviolatam Albificam, Bejam ſeu Blancam cognomine: Hic eſt Hercules monſtricida, qui Heſionem Laomedontis filiam Ceto immani expoſitam liberavit à monſtro: Hic eſt Perſeus ille, qui Andromedam, Caſſiopes & Cephei, Æthiopum regis filiam à monſtro marino, oſtenſo capite Meduſæ defendit, & à vinculis ereptam in uxorem duxit: Hic eſt, qui comparari poteſt cum antiquis Romanis illis liberatoribus & purgatoribus *M. Curtio L. Scævola, Horatio Cocite, Manlio Capitolino*, & his ſimulibus ut urbem, veluti matrem, periculis eripiat. Eſt enim hæc naturæ ad perfectionem alicujus operis tendentis ratio & via, ut ex uno aliud, ex imperfecto perfectius deducat & ex potentia actum faciat, nec omnia in momento, ſed unum poſt aliud, abſolvat: Nec hoc ſolum, ſed Vicarium quoq; ſui inprimis ſtatuit, cui relinquit poteſtatem vitę & necis, hoc eſt, formandi alia: Exempli gratiâ, in generatione hominis longo utpote decem menſium proceſſu utitur, ubi primò cor, juxta Ariſtotelis mentem, fabricat, tanquam vicarium & prȩcipuum viſcus, cor verò reliqua deinde membra ad nutritionem, vitam, ſenſus & generativam potentiam neceſſaria, delineat, efformat & perficit, iisq; vitam & ſpiritus vivificos impertit per ſyſtolem & diaſtolem, ſive dilatationem & compreſſionem arteriarum, quandiu à morbis & violentia non impediatur: Atq; ſic una natura aliam docet, quod pro exemplo operis Philoſophici ceu clariſſimum, annotabis & ſequêris.

Fac

Fac ex mare & fœmina circulum, inde quadrangulum, hinc triangulum, fac circulum & habebis lap. Philosophorum.



EPIGRAMMA XXI.

Fœmina masque unus fiant tibi circulus, ex quo
Surgat, habens æquum forma quadrata latus.
Hinc Trigonum ducas, omni qui parte rotundam
In sphæram redeat: Tum Lapis ortus erit.
Si res tanta tuæ non mox venit obvia menti,
Dogma Geometræ si capis, omne scies,

PLATO Philoſophus ille celeberrimus menti humanæ notitias, quæ ſunt artium & ſcientiarum omnium fundamenta, eſſe quaſi inſculptas & impreſſas actu tradidit, quarum rememoratione & repetitione omnes doctrinas capi & cognoſci à quoquam poſſe; Quod ut probet, introducit puerum adhuc tenerum, rudem & literis incultum, cum quo ita interrogationes geometricas inſtituit, ut puer ad quæſtiones omnes rectè reſpondere animadvertatur, & nolens volensque ſive inſcius, in media tam arduæ ſcientiæ penetralia perveniſſe. Unde omnem doctrinam & diſciplinam non ab initio diſci vel hauriri, ſed ſaltem recordatione in animum revocari & revolvi à pueris ſtatuit, colludens ad magnum ſuum annum, quo ante 48. millia annorum ſolarium eædem perſonæ, res & actiones, ante cœli revolutionem, eodem modo, quo nunc, extitiſſe ab eo dicebantur: Verùm hæc eſſe absque ullo veritatis fundamento ſomniis perſimilia, nemo non intelligit. Eſſe nobis inſitas quasdam ſcintillas notitiarum, merasq; potentias, in actum per uſum & inſtitutionem reducendas, non negamus: ſed eas eſſe tantas & tales, ut artium & ſcientiarum absque ullo præcedente cultu ſint ſeminaria, inficias imus: Unde igitur ſcientiæ & artes provenerunt, ſi homines non eas invenerint, an ex cœlo vel à Diis gentium primitus traditæ fuerunt, quærent alii? Reſpondeo, aliud eſt dicere, ſub cineribus tegi prunas ardentes tantâ copiâ, ut ſi ſaltem, remotis cineribus proferantur, ſufficiat ad ciborum coctionem aut calefactionem frigidorum noſtrorum artuum, aliud eſt, affirmare ſaltem ſcintillas exiguas ibi latere, quæ antequam ſint uſui ad coctionem aut calefactionem, induſtriâ, arte & curâ humanâ fovendæ, excolendæ & augendæ ſint ſuis fomitibus, aliàs facile extingui poſſe, & in frigidos cineres toras redigi: Ultimum Ariſtotelici, primum Platonici aſſernnt: At ultimo aſtipulatur ratio & Experientia, primo ſaltem phantaſia ſeu imaginatio. Unde quæri poſſet, cur Plato ſuæ ſcholæ oſtio inſcripſerit, Geometriæ rudem in id non admitti, cùm & puerulos eam actu ſcire affirmarit? An ſunt homines fortè pueris ineruditiores? Aut quæ pueri ſciunt, an adultiores illa oblivioni

vioni tradiderunt? Id non opinandum erit; quia videmus bruta à natura edocta abhorrere & cavere pericula ab igne, aqua, casu præcipiti & his similia, etiam recens in lucem edita, infantem non sapere aut cavere talia, nisi læsum aut digito parùm usto ad flammam candelæ instar pyraustæ, quæ alas adurit & decidit: cur apicula, musca, culex in ignem suo celerrimo volatu se non præcipitant, cùm ab experientia non noverint periculum inde ipsis exoriturum? Quia natura eas docuit, at non hominem recens natum. Si Geometria adeò naturalis & facilis est pueris, qui fit, quod ipsi Platoni quadratura circuli non innotuerit, adeò ut Aristoteles Platonis discipulus eam scibilem esse, at necdum scitam affirmarit; Verum hanc Philosophis naturalibus non incognitam fuisse apparet ex eo, quod circulum in quadrangulum converti jubeant, & hunc, per triangulum, iterum in circulum: per quem illi intelligunt corpus simpliciſſimum absq; angulis, uti per quadrangulum, quatuor Elementa, quasi dicant, sumendam esse corpoream figuram simpliciorem, quæ inveniri possit, eamq; in quatuor colores Elementales dividendam, & futurum quadrangulum æquilaterum. Quadrationem autem hanc esse physicam & naturæ convenientem, quilibet intelligit. Ex qua longè plus utilitatis ad Rempub. ut & plus illustrationis ad humanam mentem pervenit, quàm ex illa mathematicâ & merè theorica seu à materiâ abstractâ. Illa ut addiscatur, Geometram de solidis corporibus agentem oportet investigare, quæ figurarum solidarum, exempli gratia, Sphæræ & Cubi profunditas agnoscatur & ad usum seu praxin manualem transferatur: Si sphæræ capacitas seu circumferentia sit 32. pedum, quantum erit unum ex cubi lateribus, ut capacitatem hujus sphæræ adęquet, econtra, si sphæra 32. mensuras capiat in tanta circumferentia, quantum erit latus unum cubi, ut tantundem capiat, aut respiciendo à mensuris, quarum capax est sphæra vel cubus, ad pedes cujusq; circumferentiæ. Similiter volunt Philosophi quadrangulum in triangulum ducendum esse, hoc est, in corpus, spiritum & animam, quæ tria in trinis coloribus ante rubedinem prævis apparent, utpote corpus seu terra in Saturni nigredine, spiritus in lunari albedine, tanquam aqua, anima sive aër in solari citrinitate. Tum Triangulus perfectus erit, sed hic viciſſim in circulum mutari debet, hoc est, in rubedinem invariabilem. Qua operatione fœmina in masculum conversa & unum quid cum ipso facta est, & senarius primus ex perfectis numerus absolutus per unum, duo, cùm ad monadem iterùm redierit, in quo quies & pax æterna.

Plum-

Plumbo habito candido fac opus mulierum, hoc eſt, COQUE.

EPIGRAMMA XXII.

QUisquis amas facili multum præſtare labore,
Saturni in faciem (quæ nigra) ſparge nives:
Et dabitur tibi materies albiſſima plumbi,
Poſt quod, fœmineum nil niſi reſtat opus.
Tum coque, ceu mulier, quæ collocat ignibus ollas,
Fac ſed ut in propriis Truta liqueſcat aquis.

QUEMADMODUM in triviis ſtatuæ Mercuriales unà cum indice & inſcriptione poni ſolent ad deducendum ancipites viatores in viam rectam, ſic quoque à Philoſophis ſententiæ quædam acutæ hinc inde in eorum libris & voluminibus allegoricis & dubiis ſparſim ſtatuuntur, ut inveſtigator veritatis iis admoneri poſſit, & in ſemitam veram quaſi manu duci: Ex hiſce hæc emblematica inſcriptio una eſt, cujus hæc mens habetur, quod ex ære Philoſophico faciendum ſit plumbum, ex plumbo ſtannum, quod à Gebro vocatur plumbum album, qui docet quoque, qua ratione Saturnus per lotionem cum Mercurio migret in Jovem; Quapropter huic indici, quamvis Battologo, fides adhibenda eſt, ſi quando boves Philoſophicas prodat, quo loco verſentur, dum montibus, inquit, errant, & erant ſub montibus illis: Multi enim, ut Arnoldus in novo lumin. c. 1. teſtatur, in montibus errantes hæc animalia non cognoſcunt: Venduntur autem palàm minimo precio: In ſummis montibus etiam æſtate nonnunquam, nives obſervantur, ac nubes ſæpiſſimè, quibus tanquam vapore & aqua plumbum nigrum abluitur & in candorem vertitur: In imis verò vallibus & fodinis illorum criſtalli ex glacie congelati & indurati inveniuntur unà cum lapide ſpeculari & talco ad albedinem & venuſtatem faciei commendato, ſi oleum inde fiat: Inprimis verò Mercurius clarus & currens, qui benè præparatus Saturni nævos emendat, eumque in ſolium Jovis evehit: Non autem Saturnus & Jupiter de vulgaribus intelligi debent, quia vulgaria metalla non intrant in opus phyſicum, ſed de longa præparatione purgatis & phyſicis factis: Saturnus omnium gentilium aut potius aureolorum pater eſt, & prima porta arcanorum: Cum hoc, inquit Rhaſis in epiſt. aperiuntur portæ ſcientiarum: Huic ſuccedit filius Jupiter, qui patrem de regno deturbavit & eviravit, ne ſcilicet plures generaret filios; Ex membro verò virili in mare projecto nata eſt Venus fœminarum pulcherrima: Ex Jove, qui eſt plumbum candidum præparatum, nati ſunt planetæ reliqui, ut Mars ex Junone. Mercurius ex Maja, Atlantis montis Mauritaniæ filia, Luna & Sol ex Latona:

qui quatuor solâ coctione seu opere mulierum, in lucem prodeunt: Per coctionem verò maturatio, & crudiorum partium dispersio intelligitur, quæ fit per Vulcanum in Philosophiæ vasis: Non enim arbitrandum est, quod vulgaris sit coctio, quantum ad operandi modum, sed quoad finem cum ea convenit: Ut enim mulier pisces in aquis maturat, hoc est, omni superflua humiditate ab illis in aquas & aërem resolutâ mollit, bullit & coquit, sic Philosophus suum subjectum tractat, id in aqua propria, quæ aceto acerrimo fortior est, macerando, colliquefaciendo, solvendo, coagulando & fixando in Hermetis vase, cujus junctura sint strictissimè clausæ, ut decet, ne aqua exhalet, & id, quod in vase est, comburatur: Hoc est vas supra vas & olla Philosophica, balneum laconicum, in quo senex sudat: Sunt, qui pisces, carabos, cancros vel pisa recentia bulliant in duplici olla, ita quod jam dicta sint in olla superiori, & aqua sola in inferiori, sintq; ollę una supra aliam dispositæ cum orbibus, ne vapor exeat: qua ratione solus vapor aquæ ascendens penetrat contenta & maturat, facitque ea tenera & mollia longè perfectiùs, quam si in aqua bulliissent. Hic est Philosophorum modus laudatissimus, quo id, quod durum est, emolliant, quod compactum, dissolvant, quod densum rarefaciant: Aër enim est seu vapor insensibilis, qui fructus in arboribus maturat, coquit & perficit, non aqua cruda & frigida, quatenus talis: Aër quoque est, qui poma aurea in Hesperidum hortis tingit & colorat: Nam, si bene consideretur, ebullitio aquæ, quâ carnes crudæ coquuntur quoad sint esui utiles, nihil aliud est, quàm aquæ rarefactio & in aërium vaporem transmutatio, cùm bullæ sint aër intra aquam contentus, quæ facilè evanescunt, aëre ex aquis in suam sphæram se conferente, & aqua in centrum suum subsidente.

Au-

Aurum pluit, dum nascitur Pallas Rhodi, & Sol concumbit Veneri.



EPIGRAMMA XXIII.

REs est mira, fidem fecit sed Græcia nobis
Ejus, apud Rhodios quæ celebrata fuit.
Nubibus Aureolus, referunt, quòd decidit imber,
Sol ubi erat Cypriæ junctus amore Deæ:
Tum quoque, cum Pallas cerebro Jovis excidit, aurum
Vase suo pluviæ sic cadat instar aquæ.

AURUM aliquando in terras pluiſſe, niſi allegoricè intelligeretur, inſania eſſet, affirmare: Non enim ſunt fluvii auriferi aut fodinæ minerarum aurearum in nubibus, ut ibi generatum dici poſſet, nec tam exigui ponderis eſt aurum, ut cum vaporibus attractum æſtimetur. Sed tropus hæc omnia admittit & excuſat. Quàm verè enim actu Pallas ex cerebro Jovis nata eſt, & Sol adulterio Veneri conjuncta, tam verè & aurea pluvia cecidit; non quaſi dubitemas, id utrumque accidiſſe, ſed ut vulgarem & literalem ſenſum allegoricè dictis tollamus. Si enim verba ſequamur nuda hujus Emblematis, nihil iis abſurdius, ſi mentem, nil verius exiſtit. Eſt autem Rhodos inſula primò Ophiuſa dicta ob ſerpentum multitudinem, poſt Rhodos à roſetis ibidem florentibus, deniq; & Coloſſicola à Coloſſo ſolis, qui ibidem exiſtens inter 7. orbis miracula numeratus fuit. Hinc antiqui Phiſoſophi, cùm eorum materia mercurialis cruda inſtar ſerpentis ſe habeat, poſtea verò præparata & cocta Roſæ purpureum aſſumat colorem, à Rhodo inſula quasdam ſimilitudines ſumpſerunt: Eadem quoque cauſa eſt, cur ei aureum imbrem aſcripſerint, cùm Sol ſeu Apollo Veneri concumberet: Hoc primitus tropicè dictum anſam præbuit, cur Rhodii ſuperbiores facti, quia tanti Dii apud ipſos liberis operam dederint, Solis quaſi idolum ſtupenda magnitudine & ſumptu erexerint. Fuit enim, ut tradunt hiſtoriæ, ille coloſſus 70. cubitorum altitudinis ita poſitus, ut naves expanſis velis inter crura ejus tendere poſſent: Digiti æquabant vulgares ſtatuas & pauci pollicem amplecti potuerunt: Artifex fuit Chares Lyndius Lyſippi diſcipulus, à quo factus eſt annis duodecim: Poſt quinquageſimum ſextum annum terræmotu proſtratus, etiam jacens fuit miraculo: Soldanus Ægypti, cum Rhodum occuparet, ex ære hujus ſtatuæ 900. camelos oneraſſe fertur. Quod Sol eſt inter planetas, inquit Philoſophus, id aurum eſt inter metalla; atque hoc ſoli inprimis appropriatur ob calorem, colorẽ virtutem & eſſentiam: Hinc aurea pluvia debetur ſolis generationi: cum parvi ſoles à Venere concipiuntur: Habet enim Venus roſeum in facie colorem, qui ſi ſemini Solis in-

fun-

fundatur, ſobolem hinc natam Rhodum revera eſſe oportet: Hic eſt formoſus, roſis ſimilis, Philoſophorum filius, qui omnium oculos & mentem ad ſe illicit & trahit, amoremque meretur, quo nato non mirum eſt ſi miracula contingant: Ipſe enim in omnibus ſuis factis miracoloſus futurus eſt, & auream pluviam excitaturus: Hic eſt frater Augiæ Solis filii, qui boves ex patrimonio habuit, quorum ſimetum Hercules uno die expurgavit: Eſt & Æetæ frater, qui vellus aureum poſſedit ab Jaſone ocoupatum. De Pallade ex Jovis cerebro prodeunte absque matre, referunt, quod apud Tritonem amnem edita ſit, ideoq; Tritonia dicta: Sapientiæ præfecta Dea fingitur, quæ ex cerebro nata, ubi ſapientiæ ſedes, non immerito dicitur: Hujus quoq; natalem aurea pluvia decoravit Rhodi, ut in memoria hominum remaneret, quando in hanc lucem venerit. In publico gaudio ſeu feſto, utpote, Regis coronatione vel etiam regiæ hæredis nativitate aurei nummi aliquando projiciuntur in vulgus tanquam aurea pluvia: Sic in Palladis exortu eadem contigit: Eſt enim Pallas, ſapientia ſeu ſophia, quæ ſanitatem in dextra & divitias in ſiniſtra geſtat, hominumque ſaluti & commodis proſpicit: Huic Perſeus caput Meduſæ ſaxificum, ſerpentinis & vipereis capillis horrendum attulit, quo ipſa uſa eſt in clypeo adverſus hoſtes ſuos, incultos & rudes populos, eos in ſaxa commutando. Et revera ſapientia ſeu Philoſophia naturalis incredulos illos oſores & invidos reddit ſtupidos & ſenſus intellectusque vacuos per illud ipſum, ex quo Chryſaor natus eſt, qui Geryonis ante dicti Tricorporis pater fuit, hoc eſt, ſanguinem Gorgoneum lapidificantem, qui nihil aliud eſt, quàm Tinctura lapidis philoſophici.

Regem lupus voravit, & vitæ crematus reddidit.

EPIGRAMMA XXIV.

Multivorum captare lupum tibi cura ſit, illi
Projiciens Regis corpus, ut ingluviem
Hoc domet, hunc diſpone rogo, Vulcanus ubi ignem
Exicet, in cineres belua quo redeat.
Illud agas iterum atque iterum, ſic morte reſurget
Rex q3 Leonino corde ſuperbus erit.

QUAN-

QUANTA ſit lupi fames & voracitas, vulgo notum eſt: ubi enim alimenta deſint, in ſumma fame veſcitur terrâ; quâ quoq; ventrem explere traditur, ſi magna armenta aggreſſurus ſit, ut illâ quaſi farcinâ factus oneroſior, non tam facilè excutiatur, ſed reſiſtat fortiùs. Cum caulas intraverit, non ſolùm interficit, quod ſatis eſt ad ventrem, ſed & totum gregem paſſim jugulat præ aviditate. Sacer eſt Apollini & Latonæ, qui ei parienti aſtiterit. Nec enim absq; lupi præſentia Latona parere potuiſſet. Unde non immeritò Apollini, cujus natalitium celebravit, lupus acceptus creditur: Ad hæc quia oculi ei noctu ſplendent & lucem jaculantur. Huic igitur ingenti fame obſeſſo Regium corpus exanime projicitur, non ideò, ut totum conſumat & in nihilum redigat, ſed ut vitam & vires ei reſtituat propria ſua morte. Eſt enim neſcio quid virtutis amatoriæ in lupi cauda, quod regi ſemimortuo infunditur, unde omnibus pergratus eſt hominibus ſanitatem & formam priſtinam recuperans. Hyrcani non ad alium uſum nutriebant canes, quàm ut iis vitâ functos objicerent vorandos, ut Cicero tradit: Sic & Maſſagetæ ex morbo mortuos canibus dant in prædam: Philoſophi verò Regem lupo: Nec verò Sabæorum mos placuit, defunctorum corpora, eodem modo, quo ſtercus ducere, qui & reges rejiciebant inter ſterquilinia, nec Troglodytarum, qui mortui cervicem pedibus alligabant & raptim cum jocis & riſu efferebant, nullaq; loci ratione habitâ, terræ mandabant: At Magorum inſtitutum ſequi in hoc maluerunt, qui non humabant corpora ſuorum, niſi priùs à feris laniata: Aut Indorum, qui ſe vivos cremari juſſerunt, coronatos deorum laudes concinentes, ne ſenectus præveniret: Verùm omnibus illis ultimum fatum hunc morem impoſuit absque ulla reſurrectionis ſpe aut vitæ innovatione: Longè aliter apud Philoſoph. diſpoſitum eſt: Illi enim certiſſimè noverunt, ex rege mortuo à lupo devorato, vivum, fortem & juvenem appariturum, lupumq; ejus vice igne crematum iri: Eſt namque lupus facilè interimendus, ſi ventrem ita onerârit, Rex verò licet mortuus, tamen Martiali vel Cygnea vi pollet, ut vulnerari nec abſumi poſſit. At ubi venan-

venandus erit hic lupus, & unde Rex accipiendus ? Respondent Philosophi, quod in montibus & vallibus passim lupus erret, ut prædam captet, qui ex antris suis extrahendus & ad usum servandus erit: Rex verò ab oriente veniens diuturni itineris fastidio fatigatus tandem occumbit: cui mœror quoque mortem accelerat, quia videat, quod apud exteros in nullo sit honore, parviq; æstimetur ita ut propter paucos aureos in servitutem væneat: Oportet autem, ut lupus ex frigidiori regione accipiatur: Nam sæviores sunt, qui frigidâ nascuntur plagâ, quàm in Africa aut Ægypto, propter majorem famem à frigore externo subortam: Rex hinc devoratus leonino revivit pectore; qui deinde omnes feras domare potest: Et quamvis sit aspectu viliſſimus inter sex suos fratres, utpote omnium junior, tamen post multas tribulationes & miserias ad regnum potentissimum tandem perveniet: Inde Gratianus apud Rosarium; *In Alchymia* inquit, *est quoddam corpus nobile, quod movetur de domino ad dominum, in cujus principio erit miseria cum aceto, sed in fine gaudium cum lætitia.* *Et Alanus* ibidem: *Una res ex omnibus eligenda, quæ est lividi coloris, habens speciem metallicam lympidam & liquidam, & est res calida & humida aquosa & adustiva, & est oleum vivum & tinctura viva, lapis minera-lis & aqua vitæ miræ efficicaciæ.* Regibus extra suorum regnorum fines peregrinari, non semper tutum est; si enim agnoscantur, latere cupientes, ab adversariis pro proditoribus habentur & incarcerantur; si agniti procedant absq; exercitu, eodem modo periclitantur: Ita & huic regi Indico accidit, aut non morte prævento accidisset. Hæc est prima sublimatio, lotio, & nobilitatio, quâ Philos. utuntur, ut secunda & tertia eò feliciùs fiant: Nec enim illæ absq; hac ullius sunt momenti, rege pusillanimo, somnolento & ægro adhuc existente. Nam oportet eum à sibi subjectis censum & tributum exigere primò, unde sibi vestes & alia necessaria comparet, & post sat dives erit, ut omnibus subditis nova vestimenta, quoties voluerit, impartiri possit: Magna enim plerumque ex parvis initiis orta deinde parva subvehere possunt, vel etiam magna supprimere, si velint. Exemplo sint civitates ab initio parvæ, quæ post magnis regibus imperârunt, & ex pagis oppida spacioſa populosaque fecerunt.

Draco non moritur, niſi cum fratre & ſorore ſua interficiatur, qui ſunt Sol & Luna.

EPIGRAMMA XXV.

EXiguæ eſt non artis opus, ſtraviſſe Draconem
Funere, ne ſerpat mox redivivus humo.
Frater & ipſa ſoror junCti ſimul illius ora
Fuſte premunt, nec res fert aliena necem.
Phœbus ei frater, ſoror eſt at Cynthia, Python
Illâ, aſt Orion hac cecidêre manu.

IN occupatione aurei velleris Draco omnium primò interimendus erat, qui labor cùm multis tentatus esset fruſtrà, à Dracone superati & veneno exitiali necati fuerunt : Causa fuit, quia non satis muniti erant adversus draconis virus, nec instructi, quo astu ille interficiendus foret: Jason verò (medicus) nulla remediorum genera neglexit, quorum diversa à Medea (mentis consilio) atque inter hæc Solis & Lunæ imagines recepit, quibus usus feliciter victoriam cum brabejo, hoc est, *Aureo Vellere* adeptus est. Draco itaque à Sole & Luna seu imaginibus eorum è medio sublatus fuit, quod Philos. passim inculcant: Sic enim Rosarii author ex aliis habet: Hermes; Draco non moritur, nisi cum fratre & sorore sua interficiatur, non per unum solum, sed per ambos simul, sc. per Solem & Lunam. Philosoph. Mercurius nunquam moritur, nisi cum sua sorore interficiatur, i.e. cum Luna vel Sole illum congelere oportet. Nota, quod Draco est argentum vivum extractum à corporibus, habens in se corpus, animam & spiritum, super quo dicit: Draco non moritur, nisi cum fratre suo & sorore sua, id est, Sole & Luna, id est, sulphure extracto, habente in se naturam humiditatis & frigiditatis ratione Lunæ; cum illis draco moritur, id est, argentum vivum ab eisdem corporibus extractum à primordio, quæ est aqua permanens Philosoph. quæ fit post putrefactionem, & post separationem elementorum, & aqua illa alio nomine dicitur, aqua fœtida. Hæc ille: Cui reliqui omnes consentiunt, ne singulorum authoritatem adducere opus sit. Draconem in Apollinis templo Epyrotæ venerati sunt ob interfectum Pythonem: Draconi bellum & odium genuinum est cum Elephante, cujus oculos & jugulum petit, donec humi concidens Elephas simul & draconem mole corporis occidit, unde sanguis draconis in nostras oras advehitur: Oculos habet draco æstimatione gemmarum; Aciem habet peracutam & clarissimam; unde & servandis thesauris plerumque adhibitus est, ut pomis Hesperidum, & ut dictum, aureo velleri apud Colchos: Antiqui Æsculapio quoque, ut hieroglyphicum adjunxerunt: Sed dracones Chymici suis operibus appropriant, non quidem reipsa, sed allegoriâ: Mercurium

rium enim draco ſemper denotat, ſive ille ſit fixus, ſive volatilis: Hinc Mercurius duplici ſerpente viſendus in caduceo connexis, (cùm draco ſit ingens serpens) & Saturnus cum uno, qui caudam devoret, veluti & Janus: Æſculapio Apollinis filio, medicinæ inventori (Medicinæ Philoſoph.) ſerpens dicatur, in qua forma ex Epidauro Romam advectus creditur, ibiq; ſemper cultus ob peſtiferæ luis ceſſationem ab eo, ut putabatur, cauſatam: Eſt autem draco Philoſ: ſemper vigilantiſſimus & vivus, nec facilè vulnerandus, tum propter cutis denſitatem, tum dentium, venenique, quibus armatus eſt, acritudinem: Etſi enim vulgares dracones veneni expertes dicantur, hic tamen eo non caret, niſi cautè tractetur, in obvium quemvis emittendo: Per vim itaque rarò ſuperari poterit, niſi & aſtutia accedat conſanguineorum: Nam verè Poëta dixit, Tuta frequensque via eſt per amici fallere nomen, quæ alibi aliisque in negotiis, non hîc, Tuta frequensque licet ſit via, crimen habet. Circulatores & agyrtæ dicuntur vermes ex pueris expellere enecatos aliorum ſimilium vermium pulvere, hoc eſt, fratres cum fratribus, & ſororibus ita hîc draco enecandus cum fratre & ſorore ſimul, hoc eſt, cum Sole & Luna: Unde apparet, & draconem eſſe ex planetarum numero, videlicet, ut jam ex Roſario patuit, Mercurium extractum à corporibus Draconem. Herode apud Judæos regnante, amaſſe puellam nubilem & pulchram, eique in lecto accubuiſſe, ſunt ex Græcis qui tradant, & alium à Tiberio Imperatore in oblectamentis habitum, quem ex conſuetudine manu ſua cibare ſolitus ſit: Ita & Philoſoph. draco, ſi ritè tractetur, ſævitiam deponit, & ſit homini amicus, licet infeſtus ſit, ſi aliter. Xanthus hiſtoriarum author apud Plinium teſtis eſt, occiſum draconis catulum revocatum ad vitam à parente herbâ, quam Balin nominat: quod tamen potiùs ad allegoriam Philoſoph. quàm hiſtoriam veram refero, ſiquidem in chymicis ſolis draconi mortuo redditur vita, & vivo mors per alternas vices: Verùm quærat quis, unde & quomodo draco captandus erit? Reſpondent Philoſoph. per verſum breviſſimè, Dant Rebis montes, dracones, terraque, fontes: De captatione verò videatur Tacitus, quantâ curâ & induſtriâ invigilârint quàmplurimi ut ingentem draconem, in Africa obſervatum caperent, & ad Imperatorem Tiberium adducerent, nempe intra lapides iter draconis ſolitum, ſeptum & ſenſim in anguſtias coarctatum, ubi retibus & vinculis incluſus, fuſtibus & verberibus tandem domitus, & ut onus multorum plauſtrorum in navem, quâ Romam portatus eſt.

Sapientiæ humanæ fructus Lignum vitæ est.

EPIGRAMMA XXVI.

Major in humanis non est sapientia rebus,
Quàm quâ divitiæ vitaque sana venit.
Dextra salubre tenet spacioſi temporis ævum,
Illius at cumulos læva recondit opum.
Si quis ad hanc ratione manuque acceſſerit, illi
Vitæ fructus in hac arboris inſtar erit.

Præ-

DISCURSUS XXVI.

PRæclarè *Tullius* hominis differentiam eſſentialem, quâ à reliquorum animalium genere differt, deſcripſit in hunc modum: Ut avis ad volatum, equus ad curſum, ſic homo ad ratiocinandum natus eſt: Quemadmodum enim leones, urſi & tygrides in feritate, elephantes, & tauri in robore corporis, aquilæ, falcones & accipitres in præda volucrum & pernicitate alarum ſeſe exercent & oſtentant; ita homo in ratione, diſcurſu mentis & intellectu illis & cęteris omnibus antecellit: Unde non eſt tanta feritas, vis corporea, celeritas aut ejusmodi quid in beluis, quod non unâ ratione mitigari, domari & anteverti poſſit: Eſt enim ratio non quid humanum, aut ex humo ortum, ſed ut Poëta inquit, divinæ particula auræ, cœlitùs corpori humano miſſæ: Vocatur autem aliquando memoria, aliquando vis intellectualis, cui ſi uſus ſive experientia accedat, naſcitur inde ſapientia, quæ pretioſiſſima homini exiſtit: Uſus enim ut pater, & ratio ſeu memoria, ut mater, tam generoſæ prolis traditur: Hinc illud vulgare: Uſus me genuit, mater verò peperit memoria. Verùm quæritur quæ vera ſit ſapientia & hominis inquiſitione digniſſima, cùm infinitæ ſint opiniones de ea, quolibet ad ſuas imaginationes illam transferente? Reſpondendum, ſapientiam (in divinis ad animæ ſalutem ſpectantibus ſemper excipiẽdo) in humanis, non eſſe ſophiſticas argutias, non oratorios & phaleratos ſermones, non poëticos verſuum ſonores, non criticas grammaticorum ſubtilitates, non per fas & nefas, per dolos & perjuria, per deceptiones & mendacia, per immiſericordiam & pauperum ſudorem nummos & opes coacervandi aſtutiam, ſed nec quicquam aliud, niſi veram Chymiæ cognitionem, cum praxi, humano generi utiliſſima, conjunctam: Hæc eſt ſapientia omnibus ſupereminens, quæ dextrâ ad Orientem, ſiniſtrâ ad occaſum penetrat, totamque terram amplectitur: De ſapientia verò *Salomon* in lib. ſapientiæ diſcretè diſſerit: Sic enim c. 8. ℣. 9. 18. *Qui cognati ejus ſunt æternam permanentiam habent, & qui amici ejus, ſinceram voluptatem, & qui diligenter eam inquiret, magnum gaudium capiet: Nam nullum eſt tædium verſari cum ſapientia, nec faſtidium, illi adeſſe, ſed lætitia & gaudium: Et quamvis vi-*

Sir. 6. 4. 13. Sap. c. 8. 16. Sir. c. 4. 20.

Sap.10.10. Prov.3.18. Lac. l.3.13. Prov.3.35. Sir.1.24. Sir 4.12.14. Sap. 6.26. Sap.8.13. Sap.10.12. Eccl.7.20.

num & musica quoque lætificent cor hominis, tamen sapientia his jucundior est: Est enim arbor vitæ omnibus qui apprehendunt eam & beati sunt, qui servant eam: Lactanio vocat eam alimentum animæ: Sapientes verò honorabuntur, & qui sapientiam in precio habebit, ille per eam exaltabitur & honore afficietur: Sapientia enim filios sublevat, & qui firmiter ei adhæret, fruetur honore. Immortale quoque nomen ex ea provenit apud posteros: Ipsa potentior est rebus omnibus, & sapientem magis confortat quàm decem potentes, qui in civitate sunt. Ad hanc quoque

Baruch.3.14. Sap.8.5.18. mundanam sapientiam applicari potest, quod à Baruch Propheta dicitur: *Disce itaque veram sapientiam, & experiaris quis sit ille, qui vitam longam, opes, gaudium & pacem largiatur.* Et *Sapientiæ* c.9.v.17. affirmatur, quod *sapientia sit arcanum consilium in cognitione Dei:*

Sap.7.11. Sir.1.24. *Sapientia omnia confert, & infinitæ divitiæ proveniunt ex labore manuum ejus: Imò cuncta bona ab illa procedunt, & magnæ divitiæ & opes sunt in manibus ejus, & qui ei adjungitur, cum honore ab ea attollitur:* Et *Sirach* c.1.v.26. *In thesauris sapientiæ intellectus & scientiæ religiositas, & alibi vocat eam disciplinam sensus, aut doctrinam intellectus:* De hac *Morienus Philosophus: Hæc enim scientia est, inquit, quæ Dominum suum abstrahit ab hujus mundi miseria & ad scientiam bonorum futurorum reducit.* Quod autem sit donum Dei, idem testatur his verbis: *Confert enim Deus hanc divinam & puram scientiam suis fidelibus & servis, scilicet quibus eam à primæva rerum natura conferre disposuit sua mirabili fortitudine:* Et mox: *Nam hæc res nihil nisi donum Dei altissimi potest, qui prout vult, & etiam cui vult ex suis servis & fidelibus illud committit & monstrat: Decet igitur omnipotenti Deo esse in omnibus humiles & omnino subjectos.* Et post: *Scire etiam tibi convenit, ô Rex, quod hoc magisterium nihil aliud est, nisi arcanum & secretum secretorum Dei altissimi & magni: Ipse enim hoc secretum suis Prophetis commendavit, quorum scilicet animas in suo paradiso collocavit.* Lignum verò vitæ dicitur, non quod salutem æternam in se habeat, sed ad eam quasi viam monstret, & fructus huic vitæ utiles portet, quibus hæc carere nequit, ut sunt sanitas, bona fortunæ & animi; Absque his enim homo vel vivens mortuus est, brutoque non absimilis, etiamsi externâ eum, qui esse deberet & non est potiore sui parte, repræsentet.

Qui

Qui Rosarium intrare conatur Philosophicum absque clave, assimilatur homini ambulare volenti absque pedibus.



EPIGRAMMA XXVII.

LUxuriat Sophiæ diverso flore ROSETUM,
Semper at est firmis janua clausa seris:
Unica cui clavis res vilis habetur in orbe,
Hac sine, tu carpes, cruribus absque viam.
Parnassi in vanum conaris ad ardua, qui vix
In plano valeas te stabilire solo.

DE Erichthonio ſcribunt, eum ex ſemine Vulcani cum Pallade ſapientiæ Dea luctantis, in terram emiſſo natum ſerpentinis & absque humanis fuiſſe pedibus: Huic perſimiles, absque ſapientia Palladis, ſolius Vulcani operâ freti, gignunt fœtus, videlicet monſtroſos, Apodas & abortivos, qui nec ſe ſuſtentare, nec aliis prodeſſe poſſunt: Miſerum eſt hominem incedere quadrupedem, h. e. manibus pedibusq; ſimul: at longè miſerius pedibus omninò deſtitutum eſſe, eorumque vice brachiis uti: Ad vermium enim naturam degenerasſe videntur, qui vermium ſerpentium more incedunt: Sunt autem gemina crura membra organica in homine, ſine quibus ambulatio vera fieri nequit, ut nec absque oculis viſio, aut absque manibus apprehenſio tangibilium: Ad eundem modum Medicina, & quælibet ars operativa duo crura, quibus inſiſtat, nempe experientiam & rationem habere traditur, ſine quorum alterutro ars ea mutila & manca, nec perfecta ſit in ſuis traditionibus & præceptis, nec finem propoſitum adipiſcatur. Inprimis verò Chymia duplici gaudet ſubjecto (uti cruribus) quorum unum clavis eſt, alterum peſſulorum; His Roſetum Philoſophicum undiquaq; ſerratum aperitur, inque id aditus datur legitimè intrantibus: Quod ſi unum deficiat in hoc intraturo idem erit, tanquam ioripes leporem fugâ antevertere conetur. Qui absque clave in hortum intrat ab omni parte concluſum aut ſeptum, furem imitatur, qui tenebroſa nocte veniens nil diſcernet quid in roſeto creſcit, nec furtivis frui poterit: Eſt autem clavis res viliſſima, quæ propriè vocatur lapis in capitulis notus, & eſt radix Rhodi ſine qua germen non protruditur, nec gemma protuberat, nec Roſa vernat aut folia millecupla explicat. At quæri poſſet, ubi quærenda ſit hæc clavis? Reſpondeo cum oraculo, quod ibi inveſtiganda fuerit, ubi Oreſtis oſſa inventa dicuntur, nempe, *ubi uenti, Percutiens, Repercuſſus & Hominum Pernicies* ſimul reperiantur, hoc eſt, ut Lychas interpretatus eſt, in officina fabri ærarii: Nam per ventos, folles; per percutientem, malleum; per repercuſſum, incudem, per hominum pernitiem ferrum oraculum intelligi voluit: Hanc clavem in hemiſpærio Zodiaci ſeptentrionali

nali reverà inveniet ſi ſigna bene numerare & diſcernere ſciat, & lorum petſuli in meridionali: Quibus occupatis, facilè erit aperire oſtium & intrare. In ipſo verò introitu Venerem cum ſuo amaſio Adonide videbit; Illa enim ſanguine ſuo albas roſas tinxit purpureas: Ibidem & draco animadvertitur, quemadmodum in hortis Heſperiis,qui roſis cuſtodiendis invigilat. Roſarum odor alliis applantatis intendi dicitur, idque propter gradum caliditatis excellentem,qui alliis adeſt,unde venenis frigidis reſiſtit:Egent enim roſæ calore ſolis & terræ, antequam colorem & odorem gratiſſimum oculis & naribus acquirant: Adhæc roſas rubras fumus ſulphuris communis, quâ parte attingit, albefacit, econtrà ſpiritus vitrioli ſeu aqua fortis colore rubeo ſaturato reficit, qui perdurat. Sulphur enim commune ſulphuri philoſophico adverſatur,quamvis illud deſtruere nequeat,aqua verò ſolutiva amicatur &colorem illi conſervat: Roſa Veneri dicata eſt ob venuſtatem, quâ cæteros flosculos antecellit: Ipſa enim virgo eſt, quam natura armavit, ne absque vindicta violaretur impunè: Violæ inermes ſunt & pedibus obteruntur; Roſæ intra ſpinas abditæ capillos flavos habent interiùs & veſtem viridem exteriùs : Nemo has niſi ſapiens carpet & à ſpinis ſeparabit, ſi ſecus, aculeum ſentiet in digitis: Sic nullus niſi cautiſſimus Philoſophorum flores decerpet, niſi apiculas & aciculas in alveariis;& fel in melle experiri velit. Plurimi Roſarium manibus prædatoriis clam ingreſſi ſunt, ſed nil præter dolorem inde retulerunt,hoc eſt,oleum & operam perdiderunt. Hinc *Bacuſſer* in turba: *Libri enim noſtri*, inquit, *magnam injuriam videntur inferre his,qui ſolummodo ſemel,bis vel ter ſcripta noſtra legunt,cum intellectu, omnique eorum ſtudio fruſtrati, etiam (quod peſſimum eſt) opes, labores & tempus, ſi quod in hac arte inſumpſerunt, amittunt.* Et paulo poſt: *Dum enim quis putat ſe feciſſe,mundum habere,nihil in manibus ſuis inveniet.*

Rex balneatur in Laconico ſedens, atrâque bile liberatur à Pharut.



EPIGRAMMA XXVIII.

REx Duenech (viridis cui fulgent arma Leonis)
Bile tumens rigidis moribus uſus erat.
Hinc Pharut ad ſeſe medicum vocat, ille ſalutem
Spondet, & aërias fonte miniſtrat aquas:
His lavat & relavat, vitreo ſub fornice, donec
Rore madenti omnis bilis abacta fuit.

UT tres ſunt in homine concoctiones, prima in ventriculo, ſecunda in epate, tertia in venis, ita & totidem ſunt univerſales excrementorum evacuationes, quæ illis correſpondeant, earumq; ſuperfluitates quotidie evehant, nempe prima per alvum, quæ primæ concoctioni propria eſt, altera per urinam, quæ ſecundæ, tertia per exſpirationem ex poris totius corporis, ſeu per ſudorem, quæ tertię convenit: In priori chylus, in ſequenti chymus, in ultima ros ſeu rorida ſubſtantia elaboratur, & ſingulis partibus corporis apponitur: Primæ excreta ſeu fœces ſunt craſſæ, bilioſæ & pingues, quæ per inteſtina in poſticam evehuntur; & ſi quando ſiſtantur, per purgantia ſeu alvum ducentia leniter, mediocriter aut fortiter ejiciuntur; Secundæ excrementa ſunt liquida, tenuiora, bilioſa & ſalſa, quæ ex venis per renes & veſicam, tanquam aquæ ductus, educuntur, & horum hypoſtaſis urinæ index eſt: Tertiæ ſuperfluitates ſunt adhuc magis tenues, ideoque ex tenuiſſimis poris per ſe exſpirant plerumque, aut una cum ſero humorum evehuntur, ut ſudor: Hæ ſudorificis, ut antecedentes diureticis, adjuvantur: Ad ultimas hasce fœces evacuandas antiqui Græci & Romani fuêre valdè ſolliciti: Hinc enim tot ludorum & exercitiorum genera ipſis uſurpata ſunt, utpote frictio omniũ membrorũ matutina, inunctio cũ oleo, & lucta, pugilũ ars, curſus certamen, pilæ palmaris, reticularis & manæ luſus, quotidiana lotio & balneatio in fluviis vel balneis artificioſis, ad quorum commoditatem tot magnifica ædificia Romæ extructa fuerunt, ut nobis ea magis admirari, quàm imitari ſit poſſibile: Exemplo ſint thermæ Diocletiani, quæ magna ex parte adhuc ſunt reliquæ, & Archangelis, niſi fallor, inſcriptæ, quàm alta, ſuperba & ſplendida ſint opera. Eædem ferè, quæ antea dictæ, ſunt concoctionum ſpecies in metallurgia: Prima enim ſuo modo fit in magno anno, hoc eſt, revolutione ſupremæ ſphæræ, ſecunda in revolutione infimæ ſphæræ, tertia in mediæ: Verùm Philoſophi uthas excrementitiarum ſuperfluitatum ſaburras commodiùs per artis miniſterium educant, inveniunt quoque varias vias, ut abluciones, purgationes, balneationes & laconica, quibus id præ-

fiterunt in Philosophiæ opere, quod medici in humano corpore: Duenech itaque à Pharut in Laconicum introducitur, ut ibi sudet, & tertiæ concoctionis fœces per poros excernat: Est autem hujus regis affectus melancholicus seu atrabilarius, unde omnibus aliis principibus inminori authoritate & pretio est habitus, dum Saturni morositate & Martis cholera seu iracundia fuerit taxatus: Ipse igitur aut mori aut curari voluit, si id possibile sit: Unus ex medicis inventus, qui hanc sibi provinciam impositam suscepit, precibus prę-miisque adductus: Estque hæc allegoria perfrequens in scriptis Philosoph. utpote Bernhardi, Alani, tractatulo de Duenech & iñumeris aliis, ideò circumstantias alias ex iis petendas non adjicimus: Satis sit hic observâsse, cujus coctionis excrementum per balneationem educatur: In hoc enim totius rei cardo versatur: Solet autem in thermis seu balneis calidis calor in corpore concluſus ad cutis superficiem una cum sanguine revocari, unde color venustus faciei & toti corpori conciliatur; qui si adfuerit, signum erit, quod melancholica nigredo, quæ cutim inficit, evacuari sensim possit, omnesque humores corrigi, ut optimus & roseus post generetur sanguis: Necessarium est, ut totum temperamentum ejus corporis emendetur, quod bono sanguini reclamat, estque frigidum & siccum, cùm ille econtrà sit calidus & humidus, quod an fieri possit, medico prognosticis præscire & prædicere convenit. Sunt aliquando inventi, qui Cerdonem pro magno principe aut regis filio acceperunt, at tandem qualis foret origine & educatione, ex certis signis perceperunt: Hoc ne contingat artifici cavendum, nempe ut veram regis sobolem inprimis eligat, quæ etiamsi aureo ornatu non sit splendidus, at amictu despecto & vili, nec non colore livido & melancholico, ne propterea eam rejiciat, aut alium ejus vice captet; Si enim optimè lavetur, mox regia ejus indoles apparebit, veluti in Cyro, Paride, Romulo, apud ruricolas educatis. Animadvertendum verò est, ut balneum sit Laconicum, hoc est, vaporosum & sudoriferum, ne aqua ejus carnem teneram adurat, aut poros obstruat, unde plus nocumenti, quàm emolumenti contingeret, nec effectus ejus curaretur: De vestibus regiis post balneationem illi induendis nemo sit sollicitus; Filia enim regis Alcinoi, ut olim Ulyssi naufrago & nudo, vestes præbuit, si cerit qui ipsi precio sissimas mittet, ut filius Solis meritò agnosci possit.

Ut

EMBLEMA. XXIX. *De ſecretis Naturæ.*

Ut Salamandra vivit igne ſic lapis.

EPIGRAMMA XXIX.

DEgit in ardenti Salamandra potentior igne,
Nec Vulcane tuas æſtimat illa minas:
Sic quoque non flammarum incendia ſæva recuſat,
Qui fuit aſſiduo natus in igne Lapis.
Illa rigens æſtus extinguit, liberaque exit,
At calet hic, ſimilis quem calor inde juvat.

DUo ſunt Elementa, in quibus animalia degunt, aqua & aër, & totidem in quibus nihil animatum ſupereſſe poteſt, terra & ignis. Ut enim illa ſunt mediæ, & temperatæ complexionis in primis & ſecundis qualitatibus, ſic hæc ſunt extremæ; aut corpora nimis craſſa, aut ſubtilia, ita ut craſſities alia corpora non admittat, ſubtilitas admittat quidem, ſed penetret & adurat: Quod verò in cellis, & fodinis ſubterraneis vivant homines, id ratione aëris contingit cò usque deſcendentis, & ea loca, ne ſint vacua, ſupplentis: At hic de unoquoque Elemento per ſe loquimur: In aqua piſces incredibili numero, varietate & fæcunditate vivunt, imò animalium omnium maxima; In aëre homines, quadrupedes, volucres, vermes, & inſecta: Quicquid de ſpiritibus oberrantibus in terræ abditis dicitur, aliud eſt, nec enim ſunt animalia. In igne verò ſolam Salamandrã vivere ajunt. Eſt aut. Salamandra vermis repens non abſimilis lacertę, ſed tardiori inceſſu, grandiori capite & alio colore, qualem me vidiſſe memini in Alpibus ſeu jugo Splugæ, poſt tonitrua & imbres ex cavernis, ſaxorũ progreſſam, inque via morantem, admonente quodam ejus loci ruricola, quod vocaretur ein Molch: Habebat autem circa ſeſe lentam & viſcoſam humiditatem, quâ ignes liberè pervadit absque noxa. Sed Philoſoph. Salamandra longè alia eſt, quamvis huic aſſimiletur. Illa enim in igne naſcitur, hæc nequaquam, ſed ſi incidat in ignem ſua copioſa & ſumma frigiditate ac humiditate non ſtatim comburitur, quin liberè permeare flammam poſſit: Illa eſt calida & ſicca, hæc frigida & humida: Quodlibet enim materni uteri naturam refert, ſeu locum & patriam imitatur: Ignis nil niſi calidum & ſiccum producit, tanquam ſibi ſimile, & econtra humidæ & frigidæ cautium cavernæ, imbribus repletæ, hunc vermem, frigidum & humidum mittunt. Illa ſimilitudine naturæ ignigaudet, hæc contrarietate extinguit eum aut ejus vim aliquandiu à ſe repellit. Ajunt ex furnis ærariis Cypri pyrauſtam in igne genitam evolare: At nemo hoc verum, niſi per allegoriam, crediderit: Ignis enim animalium quorumcumque corpora deſtruit & corrumpit, ſi continuetur, cum & terram adurat in vitrum, & ligna ſolidiora in cineres, cæteraque omnia compoſita, paucis exceptis, utpote mercurialibus, quæ vel tota manent, vel tota avolant ex igne, nulla partium ſeparatione in iis factâ. Vulcanus carnifex eſt rigidiſſimus, qui omnia mixta ex Elementis in examen ſuum vocat & judicium, exemptis ab ejus foro nonnullis tanquam naturæ imperatricis privilegiis & indultis: In hæc per ſe, niſi alios ſibi adjungat Areopagitas, nil juris obtinet, ſuntque Salamandræ præ ejus violentia, quam non extimeſcunt. Avicenna in porta diverſa corporum temperamenta enumerat, quæ omnia ſunt inæquata, ideoque corruptibilia igne, aliisque injuriis: Sed unum optimè æquatum tradit, quod tantum habet calidi, quantum fri-

frigidi, tantum ſicci, quantum humidi, non ad pondus ſed juſtitiam, ut medici vocant; & hoc eſt illud quod magis eſt patiens, quam agens; In quo ſi ignis aquam ſibi adverſam reſolvere in aërem ſibi familiarem nititur, terra hanc reſolutionem non admittit, quia aquæ incorporata eſt: Et ignis internus compoſiti hanc terræ ſententiam ſuffragio comprobat, quia terræ intimus eſt amicus. Ceſſat itaque judicium Vulcani, qui alio adhuc diverticulo utitur, dum terram tentat in cineres comburere, ut ſolet; at aqua illi adhærens contra Exceptiones adfert, quæ ſe terræ unitam oſtendit, ac ſibi aërem, terræ verò ab altero latere ignem; Ergo qui velit terram incinerare, incineret & reliqua elementa: Atque ſic Vulcanus eluſus judicium ſuum ſuſpendit, ne riſui ſit omnibus. Hoc corpus eſt Salamandræ veriſſimæ ſimile, in quo Elementa bilance virtutum æquata ſunt: De eo Roſarius ex Gebro: *Item*, inquit, *Philoſophus iſte vult iſtam ſubſtantiam Mercurii mortificatam; ſed naturaliter Mercurius illius eſt in illo venerabili lapide, ut omnibus eſt manifeſtum:* Ergo &c. *Item iſte Philoſophus vult iſtam ſubſtantiam Mercurii eſſe fixam, ut patet, quia ingenia fixandi docet cum cautelis multis & ingeniis, ſed quis dubiter ſubſtantiam iſtius lapidis precioſi eſſe fixiſſimam? certè nullus qui cognoſcit eum.* Ex quibus patet, quod ad Salamandræ naturam per fixationem lapis redigendus ſit; hoc eſt, ad ſummam fixitatem, quæ ignem non declinet aut renuat. Nec enim Salamandra eſſe poteſt, antequam ignem tolerare patientiſſima didicerit, quod longâ temporis morâ fieri neceſſum eſt. De Achille & Triptolemo ſub ignis favillis noctu poſitis, donec vehementiſſimum calorem ferre potuerint, poſt dicetur diſcurſu emblematico 35. qui Salamandrinam quoque nacti ſunt proprietatem per conſuetudinem & aſſuetudinem: Conſuetudo enim altera natura eſt, quæ tamen niſi potentiam communicarit, & alterationem quaſi magiſtra inceperit, conſuetudo nihil aut parum efficere poterit; Inde eſt, quod glaciem, ad ignem figere ſit impoſſibile, criſtallum autem poſſibile, quia natura hunc incepit: Ita de Mercurio aquoſo & volatili exiſtimandum eſt, quod figi ſua natura nequeat, niſi per complexum maritati ſulphuris, quod eſt Tinctura Philoſoph. & figit omnes ſpiritus volantes.

Sol

EMBLEMA XXX. *De ſecretis Naturæ.*

Sol indiget Lunâ, ut gallus gallinâ.



EPIGRAMMA XXX.

O Sol, ſolus agis nil, ſi non viribus adſim,
Ut ſine gallinæ eſt gallus inanis ope.
Auxiliumque tuum præſens ego Luna vicissim
Poſtulo, gallinæ gallus ut expetitur.
Quæ natura ſimul conjungi flagitat, ille eſt
Mentis inops, vinclis qui religare velit.

Avi-

AVicenna in lib. de anima aliquoties monet, ova non esse ad artem sumenda, nisi earum gallinarum, quibus gallus adfuerit: hoc est, absque virtute masculina fœmineum subjectum nihil valere, & vice versa, nec gallum absq; gallina utilem fore: Hi enim gemini sexus in corte Philosoph. conjungendi sunt, ut multiplicatio fiat: Philosoph. verò utuntur similitudine à gallo desumptâ, quia hic inprimis sulphuris potentiæ correspondet magis, quàm alius masculus ex avibus cùm unus multis gallinis præesse possit, nec facilè rivalem in eodem fimeto patiatur, sese parem & sufficientem singulis existimans. Martis avis est ex Gallo puero, qui Solem observare deberet, ne adulterium Martis cum Venere specularetur, transformata, ut fabulantur Poëtæ, & Martialis valdè in pugnâ, qua decertat cum adversario usque ad necem: Solem in opere Philosoph. repræsentat, ut gallina Lunam: Eadem itaque necessitas conjungendi Solem cum Luna, quàm gallum cum gallina: Est quoque gallus Soli sacer, cui venienti assurgit, cumq; eo it dormitum: Cœlum crebrò aspicit, inque sublime falcatas erigit caudas: contra serpentes pro gallinis dimicat: Nuncius est lucis & Latonæ charus, quia ei parienti astiterit: Peperit verò Latona Solem & Lunam, unde matri & filio appropriatur: At Sol, Luna & Latona chymicis subjectis conveniunt: Sic & gallus & gallina: Verùm & hi ex ovo prodierunt, & iterum ova relinquunt in pullos gallinaceos excludenda; sic quoque Philosoph. sua sunt ova in aves ejusdem generis transeuntia, dummodò foveantur temperato calore, prout gallinæ incubantis calor est, qui continuè durat: Cùm enim in cæteris volucribus & masculus ovis insideat, solus gallus ab hoc officio sive onere sese imunem ostendit; unde gallinæ omnis cura & labor excludendi, & pullos educandi incumbit; Ubi ejus sedulitatem, & diligentiam animadvertere licet, quàm properè edat & bibat, ventremq; exoneret, moxque ad ova, antequam frigefiant, recurrat. Deinde quanta vi & impetu defendat pullos, qua benignitate nudos sub alas suas recipiat & tegat, qua voce, tanquam campana, convocet & contineat, quo studio ipsis frangat duriores micas aut grana, & rostro, quasi cultro ministret, admiratione dignum naturæ opus est:

Atque hæc omnia, ne homini ad alimentum desint ova vel fœtus gallinacei: Eundem ad modum Philosoph. sive artifex diligentissimè & providè omnibus suis operationibus procedit; Ova enim ex suis locis, quibus gallus adfuerit, conquirit, ea ne sint subventanea rimatus, postea purgat, præparat, & disponit suis vasis veluti nidis, caloremque aptum ministrat, quo de die in diem inter se commixta subjecta agunt & patiuntur ab invicem, eò usque donec post longum tempus, varios colores transeuntes ad unum colorem & essentiam devenerint: In quo opere solutio, coagulatio, sublimatio, ascensio, descensio, distillatio, calcinatio & fixio, tanquam intermediæ absolvuntur: Durum enim & compactum alterari nequit, ideò solutio præmittitur, ut liquefiat & mollescat: Ubi autem solutum quid est, ut quoque coaguletur, convenit, non ad duritiem pristinàm sed malleam tractabilitatem; sublimatio verò segregat purum ab impuro, & vile reddit dignius, inferius superius: Unde nec hæc abesse debet, sed est quasi domina omnium & magistra: Dum fit sublimatio, aliquæ partes altiùs ascendunt, quæ est ascensio, & aliæ iterùm descendunt, & sic discensio fit: Distillatio abhinc clarificat totum sæpius interposita, & quod in fundo remanet calcinatur: Utrumque verò figitur & sic opus perficitur. Quod si quis omnes has operationes speciales sub generali, quæ est COCTIO, congreget, non multùm aberrabit à proposito: Ut enim quotquot sunt pulli, qui dispersim hinc inde currunt, sub unam matrem aut nutricem gallinam conveniunt, sic tam variæ operandi viæ & modi ad opus mulieris, hoc est, coctionem unam concurrunt: Luna est, quæ ad Solis sublimitatem exaltanda venit, propter quæ hæc omnia fiunt, hoc est, matrimonium inter Solem & Lunam durabile intenditur, quod si factum fuerit, cessabunt omnes legationes, desponsationes, copulationes, dubitationes, & erit unus lectus & caro utriusque, amor mutuus & constans, pax æterna & fœdus indissolubile: Sol absque Luna non magnæ est æstimationis, & Luna absq; Sole abjectæ conditionis & vilis originis: At hæc à Sole conjuge splendorem, dignitatem, & robur seu animi corporisque firmitatem accipit, Sol verò à Luna prolis multiplicationem, generis propagationem: Hinc *Rosarius: Si in lapide nostro esset tantum alterum ipsorum, nunquam facilè flueret medicina, neque tinctura daret, & si daret, non tingeret, nisi in quantum esset & reliquum, & Mercurius in fumo evolaret, quia non esset in eo receptaculum tinctura*: Et Geber probat in libro examinum, quod si Sol & Luna insimul incorporentur cum arte, non separantur de facili.

Rex

Rex natans in mari, clamans altâ voce: Qui me eripiet, ingens præmium habebit.



EPIGRAMMA XXXI.

REx Diadema caput cui prægravat, æquore vasto
Innatat, atque altis vocibus usus ait:
Cur non fertis opem? Cur non accurritis omnes,
Quos ereptus aquis sorte beare queo?
In mea, si sapitis, me regna reducite, nec vos
Pauperies premet aut corporis ulla lues.

PRima omnis disciplinæ rudimenta antiquitus fuêre natandi peritia & in literis institutio: Hinc de homine rudi dici & impolito consuevit; Neque nare neque literas novit: Considerârunt enim antiqui natationem salvando & periculis aquæ eripiendo corpori sæpenumero profuturam, literarum verò scientiam animo ê fortunæ fluctibus. Adhæc natatio militiæ inprimis servivit belli tempore, literarum cognitio domi, pacis: Et veluti animadvertimꝰ brutis sua arma esse in procinctu & à natura provisa, homini horum vice adversus vim externam, manus & ingenium ministrata, ut hoc arma excogitet & inveniat, illæ faciant & usurpent, sic iisdem bestiis natandi facultas naturaliter insita est, homini nequaquam: Illæ ex aquis natatione sæpè evadunt etiam juvenes, in quibus homo vel senex aut robustissimus suffocatur: Opus itaque fuit pueris natandi exercitationem imperare, nunquam non vitæ cujusque utilissimam, ut quod per naturam deesset, per artis usum suppleretur: Eodem exercitio magnates, principes & reges usi sunt, ad sui corporis tutelam: Non enim alio loco nati à fortunæ casibus liberi omnino sunt, sed æquè illis, ut alii homines expositi: Si Dionysius nec nare nec literas noviset, cùm regno Siciliæ, ceu tyrannus pelleretur, in Corinthiaco sinu naufragus fluctibus maris periisset, verùm natatione periculis ereptus, Corinthum se contulit, ubi scholam docendis pueris aperuit, literasque humaniores professus est, ex rege factus ludimoderator, virgam pro sceptro tenens, unde dicterium, Dionysius Corinthi: Simili modo nisi regius Philosophorum filius natare posset, nemo ejus clamorem audiret, nec illi supetias ferret jam pridem aquis submerso: Natatio itaque omnis conditionis homini necessaria & utilissima est: Etiamsi enim non mox liberet ex immensi maris fluctibus, tamen concedit tempus vitæ, quo ab aliis liberari queat: Dictus verò rex diutissimè se sustinet & huc usque clamat quamvis à pauciſſimis exaudiatur aut videatur ob maris amplitudinem & ejus remotionem. Fortè enim rupem seu lapidem prægrandem natando attigit: quo contineatur, si fluctus prævaleant. At quæritur quale sit mare? Respondeo, Erythræum

thræum ſeu rubrum, Tropico Cancri ſubjectum; in quo cum magnetes abundantiſſimi ſint in fundo, unde non tutum eſt navibus ferro compactis aut oneratis per id tranſire: Facilè enim in fundum magnetis vi attrahi poſſent. Quod cùm ignoraret jam dictus rex, & navi ſubmerſa reliqui perirent, ipſe natatione evaſit ſolus. Corona illi remanſit rubinis lucens inſignibus, qua facile agnoſci & in regnum ſuum reduci poſſit. At quæ bona ſunt, quæ regius hic filius illi, à quo in proprium regnum reduceretur, impertiri queat aut velit? Sanè non ejusmodi, qualia Ptolomæus rex Ægypti ultimus, Pompejo, à quo pater ejus in regnum Ægyptium reſtitutus erat, ſcil. proditionem & mortem, ſed ſanitatem, morborum ſublationem, vitæ ab iis præſervationem, rerum neceſſariarum uſum & cornu copiæ, honorem & amorem; quæ cùm non ſint vulgaria aut mediocria, ſed ſumma hujus vitæ viatica & ornamenta, quis ea non, niſi plumbeus, appeteret? quis non adnataret illi? quis manum non præberet & in ſcapham pertraheret? At videndum, ne inter opitulandum illi diadema in mare decidat: Tum enim vix pro rege agnoſceretur, nec à ſubditis reciperetur: quia pyropus periiſſet omnibus venerabilis, quia Bezoar lapis, omnibus ſanitatem ſpondens, evanuiſſet: Hinc Roſarius citat Ariſtotelem, his verbis: *Elige tibi pro lapide, per quem reges venerantur in diadematibus ſuis, & per quem Phyſici habent curare ægrotos ſuos; quia ille eſt propinquus igni.* Absque enim virtute medicinali corona eſſet nullius valoris. At quid faciendum regi jam liberato? Ab aquis hauſtis liberandus eſt per ſudorifica, à frigore per calorem ignis, à torpore membrorum per balnea moderatè calida, à fame & inedia per adminiſtrationem convenientis diætæ & ab aliis externis malis per ſua contraria & ſalutifera remedia. Deinde de matrimonio Regali illi providendum erit, & ſuo tempore ex eo generabitur proles optatiſſima, gratiſſima omnibus, pulcherrima & fœcundiſſima, quæ omnes ſuos proavos ſuperabit potentia, regnis, ditionibus, populis, divitiis & opibus atque hoſtes ſibi ſubjiciet, non bello, ſed humanitate, non tyrannide, ſed clementia, quæ ipſi genuina & propria eſt.

Corallus ſub aquis ut creſcit & aëre induratur, ſic lapis.

EPIGRAMMA XXXII.

PLanta maris vegetans Siculi ſub fluctibus uda
Ramos ſub tepidis multiplicavit aquis.
Illa, CORALLUS, habet nomen ſibi, durior exit,
Cum Boreas rigido mittit ab axe gelu:
Fit lapis, & rubeum multâ cum fronte colorem
Poſſidet: hæc Phyſicæ eſt apta figura Pctræ.

Phi-

Philosophi vocant lapidem suum vegetabilem, quia instar plantæ vegetet, crescat, augmentetur & multiplicetur: quod quidem ignaris mirum & à veritate alienum videtur; cùm constet lapides nec vegetare, nec crescere hoc modo, nec ad metalla liquabilia quicquam spectare: sed illi falluntur suo judicio: Quod enim illis ignotum est, id non extare in rerum natura arbitrantur, metientes universi immensitatem suo captu: Quis unquam credidisset lapidem crescere sub aquis, vel plantam ibi generatam lapidescere nisi Experientia & constans scriptorum fides id comprobaret? ubi illa lapidifica, ubi colorativa vis, quæ corallum indurat & tingit, existit, an in aquis, an in aëre, an in terra? plantam esse mollem & plicatilem, dum est sub aquis, ut affirmant, verisimile est, valdè tamen terrestris naturæ, quæ dum resecatur & ventis frigidis exponitur, indurescit & lapideam frangibilitatem acquirit, dum à frigido & sicco aëre aqueæ partes abundantes exsiccantur, (hi enim septentrionales suo flatu siccitatem inducunt) & reliquum corpus terrestre à terræ qualitatibus frigiditate & siccitate, congelatur: Sola enim constrictio inest terræ non aquę, nec aëri, quoad virtutes cujuslibet proprias & genuinas. Dat præterea mare aliis in locis tres lapides medicinales partim ex vegetabili genere, partim ex animali, aut potius partim ex naturæ arcanis depromptos; utpote margaritas, succinum & ambram gryseam: Margaritarum proventus & captura nobis innotuerunt, at non reliquorum: Succinum in Sudaviæ maritimis oris colligitur, in littoribus, post vehementiorem flatum Circii sive Cori, quod absque dubio ex terræ venis in mare ebullit, vel ab aquis eluitur, & fluctibus ad littora impellitur. Nam mineras quasdam, ferri & argenti succino adnatas vidimus, quod fieri non potuit, nisi in terra. Quod verò muscæ, culices, aranei papiliones, ranæ & serpentes in quibusdam frustulis cernantur (quemadmodum nos 120. globulos ex succino tornatos habuimus, qui singuli muscas, culices, araneas, papiliones aliquot continuerunt, una etiam particula 9. non sine naturæ singulari miraculo) ex profluentia & imaginatione cœli accidit; ut alibi demonstravimus.

Am-

Ambra Gryſea quod eodem modo in Indiæ Orientalis & Occidentalis littoribus inveniatur, negari non poteſt, & quamvis quidam ad arborum ſuccum ſeu gummi (uti ſuccinum ante dictum) eam referant, qui tamen ex terræ venis prodire exiſtiment probabiliùs judicant: Arbores enim ambræ ſuccinique feraces nusquam viſæ ſunt, quas tamen extra aquam in aprico creſcere, ſi ſint, certiſſimum eſt. Ad venas itaque ſubterraneas ſeu lapides, utramque ambram referimus, uti Margaritas ad Zoophyta, & corallum ad vegetabilia. Aſſimilatur verò his lapidibus & inprimis corallo, Philoſophorum lapis. Nam ut corallus in aquis creſcit & ex terra nutrimentum ſumit; ſic & lapis Philoſophicus ex mercuriali aqua concrevit & ex ea quicquid eſt terreum aſſumpſit ad ſui augmentationem, humiditate ſuperfluâ expirante. Color quoque rubeus illi ex coagulatione intenditur, quem recentiores vocant tincturam coralliorum, non aliter quàm lapidi phyſico, qui in ultima congelatione ſui rubeſcit & inſtar coralli ruberrimi apparet, quæ tinctura eſt: verùm ut corallus frigido & ſicco, ſic ille calido & ſicco indureſcit, quo augmentato itidem liqueſcit, contra naturam reliquorum lapidum, qui liqueſcunt quidem, ſed in vitrum abeunt, quod huic neutiquam convenit: Utque corallus in varias medicinas magnæ virtutis præparatur, ſic & Philſoph. corallus omnium herbarum vires in ſe tranſtulit, quod ille unicus tantum poſſit, quàm omnes omnium vegetabilium medicinæ. Sol enim cœleſtis, qui vegetabilibus virtutem & efficaciam medicinalem infundit, huic ſuo filio & vicario terreſtri plus tribuit, quàm aliis omnibus: Hic eſt corallus philoſophicus vegetabilis; animalis & mineralis, qui in ampliſſimo mari deliteſcit, nec agnoſcitur, niſi oculis ignarorum exponatur & manibus inferatur: At cautiſſimè ſub aquis reſecandus erit, ne ſuccum & ſanguinem amittat, & nil niſi terreſtre chaos absque verâ ſuâ formâ remaneat: In hoc enim omnis difficultas coralli captandi verſatur, præter quam vix ulla occurrit: Humiditatem ſuperfluam intelligo, quæ interficit lapidem, niſi ſeparetur, quæ corallinum ruborem apparere non ſinit, quæ coagulationem, dum adeſt, non admittit.

Her-

Hermaphroditus mortuo similis, in tenebris jacens, igne indiget.



EPIGRAMMA XXXIII.

ILle biceps gemini sexus, en funeris instar
Apparet, postquam est humiditatis inops:
Nocte tenebrosâ si conditur, indiget igne,
Hunc illi præstes, & modò vita redit.
Omnis in igne latet lapidis vis, omnis in auro
Sulfuris, argento Mercurii vigor est.

EX arcanis naturæ eſt, quòd, ingruente hyeme, ranæ & hirundines, aquis ſubmerſæ, veluti mortuæ jaceant, & vere novo calore Solis operante recuperent ſenſum & motum ſeu vitæ ſenſitivæ actiones peragant: Quod ſi verò ipſo Brumali tempore in aquis repertæ in aërem ſeu hypocauſtum calidum adferantur, mox ſeſe movere, ut in æſtate, incipiunt: Unde apparet, quod illis nil niſi calor deficiat externus, qui calorem naturalem internùm concluſum excitet & in actum deducat: Eodem modo Philoſophi de ſuo Hermaphrodito loquuntur, qui ſi in tenebris jacens appareat mortuus, ignis calore indigeat: In tenebris verò jacere dicitur, dum per noctem hyemis opacam & frigidiſſimam dimittitur, h.e. in nigredine, quæ frigiditatis ſignum eſt, manet, à quâ ad albedinem per majorem ignis intenſionem adduci debet, & adhuc per majorem, ad rubedinem: Absque calore enim, ut Bodillus in turba ait, nihil generatur, & balneum intenſi caloris perire facit, ſi verò frigidum ſit, fugat, ſi autem temperatum ſit, corpori conveniens & ſuave fit. Ibid. *Bonellus, cuncta*, inquit, *quæ vivunt, Deo ſic volente, etiam moriuntur: Propterea illa natura, cui humiditas adempta eſt, cùm per noctes dimittitur, mortuo ſimilis videtur, & tum illa natura igne indiget, quousque corpus & illius ſpiritus in terram vertatur, & tunc fit pulvis mortuo ſimilis in ſuo tumulo: His peractis reddit ei Deus ſpiritum & animam, & omni infirmitate ablatâ confortata eſt natura noſtra & emendata: Oportet igitur illam rem comburere abſque timore &c.* Ignis itaque, qui omnes alias res deſtruit, hanc conſtruit, quæ reliquis mortem, huic vitam præbet. Unicus eſt *Phœnix*, qui reparatur igne, qui innovatur flammis & ex cinere emergit redivivus, atque hic Philoſophis ſolis notus, crematur & in vitam revocatur, quicquid alii ſomnient de ave, neſcio quâ, volatili, nusquam exiſtente, nec visâ, niſi fabuloſè: Eſt autem *Hermaphroditus*, de quo Philoſophi loquuntur, mixtæ naturæ, maſculeæ & fœmineæ, quarum una tranſit in alteram calore operante: Ex fœmina enim fit maſculus, quod non adeò mirum in Philoſophor. opere videri debet, cùm & ſexum mutaſſe quamplurimos, ſi hiſtoriis fides habenda eſt, repertum ſit: Poëtæ *Cenea*, *Iphin* & *Tireſiam* commemorant, ut *Pontanus* in ſtellis: Pœ-

Pœniteat generis tamen & ſe *Cenea* malint,
Aut in fœmineam penitus tranſire figuram: Et Auſonius:
Mœret in antiquam Ceneus revocata figuram.

Ita *Licinio Craſſo & C. Caſſio Longino* Coſſ. *Caſſini* puer factus eſt ex virgine: Et *Licinius Mutianus* apud *Plinium* prodit, viſum à ſe Argis Ariſtontem, cui nomen Ariſtuſæ fuiſſet; nupſiſſe etiam, mox barbam & virilitatem proveniſſe, uxoremque duxiſſe: *Plinius* ipſe ait ſe vidiſſe in Africa mutatum in marem die nuptiarum *L. Coſſicium* civem *Tisdritanum:* Hæc vera eſſe & multis aliis comprobari poſſet, ſi opus foret: Ex calore verò auctiore reddito genitalia membra ſeu virilia ex corpore protruſa certum eſt. Cùm enim fœmina ſit longè mare frigidior, interiusque abſcondita habeat, quę mas foris, ut medici dicunt, hinc natura dubia, num marem an fœminam generaret, fœminam expreſſit exterius, licet marem interius meditata ſit. Hinc calore per ætatem creſcente & motu accedente, recondita membra eruperunt, ſeque omnibus viſenda monſtrârunt: Eodem modo apud Philoſophos fœmina calore aucto fit maſculus, hoc eſt, Hermaphroditus fœmineum ſexum amittit, & fit mas fortis & ſeverus, qui nihil muliebris in ſe habeat mollitiei aut levitatis. Ita à celeberrimo illo *Caſp. Tagliacotio Bononienſi* medico vidimus mus aliquando artis chirurgicæ induſtriâ nobilem puerum Hermaphroditum in perfectum marem, generandæ ſoboli (ut ſpes erat) aptum, mutatum vel potiùs promotum eſſe, facto per mentulam (quod deerat ibi) foramine novo & occluſo inferiori quaſi muliebri. Philoſophi hiſce omnibus manuariis operationibus non egent. Cùm enim frigiditas & humiditas Lunæ adfuerit, fœminam vocant, cùm caliditas & ſiccitas Solis, maſculum; Cùm omnes illæ quatuor qualitates ſimul, Rebis vel Hermaphroditum; Et ſic facilè converſio fieri poterit fœminæ, hoc eſt, frigiditatis & humiditatis, in marem mutatio, quæ fit ſolo ignis calore, ut dictum; Calor enim ſequeſtrat & ſeparat ſuperfluitates humiditatum, & ſui ideam in ſubjecto Philoſophico ſtatuet, quæ eſt tinctura.

In balneis concipitur, & in aëre naſcitur, rubeus verò factus graditur ſuper aquas.



EPIGRAMMA XXXIV.

BAlnea conceptu pueri, natalibus aër
Splendet, & hinc rubeus ſub pede cernit aquas.
Fitque ſuper montana cacumina candidus ille,
Qui remanet doctis unica cura viris.
Eſt lapis, & non eſt, cœli quod nobile Donum,
Dante DEO felix, ſi quis habebit, erit.

Ho-

HOminum opinio vel adulatio quibusdam præ reliquis mirabiles ortus, at certè fabulosos attribuit, veluti, Alexandro Magno, non à Philippo Macedonum rege, sed Jove Hammonio, genito, Romulo & Remo, à Marte, Platoni ex virgine Perictione ex Apollinis oppressa phantasmate, nato. Ita Ethnici à diis se oriundos demonstrare voluerunt, quemadmodum & Thessalus Hippocratis medici filius sese ab Apolline ortum ducere Athenienssibus inter alia persuadere conatur: Sed nos illis non creduli, qui scimus, illos nec homines nec deos fuisse, ad quos sui generis originem referunt; Et si heroës quasi divini inter mortales extitissent, ex adulatione subditorum, discipulorum vel aliorum omnia sua magnifica mundo venditantium, hæc de iis fixa & in opinionem vulgi falsariis scriptis insinuata esse, animadvertimus: Alia res est, quod Philosophi suo filio conceptionem & nativitatem inusitatam tribuant: Habet enim hic quid peculiare prę cæteris omnibus in mundo natis, cùm conceptio ejus facta sit in balneis & ortus in aëre. Scimus mulieres steriles ex nimia frigiditate & siccitate multum adjuvari posse balneis calidis, ut ad conceptum reddantur habiles & aptæ, at quod is in balneis fieri debeat, aut factus sit, inauditum: Soli huic illud competere videtur ob mirabilis naturæ potentiam ab aliis longè diversam. Alibi dicunt quod conceptio ejus fiat in fundo vasis & ortus in alembico: quæ sententia magis est conspicua: Nam aquæ balneorum, si quæ adsunt, non in summitate, nec medio vasis sed in fundo erunt, in alembico verò vapores sunt aërii: Conceptio itaque ubi facta est, ascendit in alembicum & fit ortus ejus in albo colore: In fundo nigredo dominatur, de qua Rosarius; Conceptio, inquit, est cum terra in nigrum solvitur pulverem & incipit aliquantulum de mercurio retinere; tunc enim agit masculus in fœminam, id est, azoth in terram. Et paulo post: Conceptio & desponsatio fit in putredine in fundo vasis; & generatio genitorum fiet in aëre, scilic. in capite vasis, id est, alembici: Estque conceptio in balneis nihil aliud nisi putrefactio in fimo: sic enim idem Rosarius continuat: corpus nihil facit, nisi putrefiat, & non potest putrefieri, nisi cum

mercurio: Et mox putrefactio fiat igne lentissimo fimi calidi & humidi, & nequaquam alio, ita quod nihil ascendat: quia si aliquid ascenderet, fieret separatio partium, quæ fieri non debet, donec masculus & fœmina sint perfectè conjuncti, & unum recipit aliud, cujus signum est in superficie nigredo perfectæ solutionis. Ortus ejus est albus, qui fit in cacumine montium, h.e. in aëre seu alembico; Quod per Rosinum ad Euthiciam sic explicatur: Dixit sapiens: Accipite res è mineris suis & exaltate eas ad altiora loca, & mittite eas à cacumine montium suorum & reducite eas ad radices suas: Et post: Per montes autem significavit cucurbitas, & per cacumina montium alembica: Mittere autem secundùm similitudinem est recipere aquam illarum per alembicum in recipiente: Reducere verò super radices, est super hoc, à quo prodeunt: & nominavit cucurbitas montes, quia in montibus, qui sunt cucurbitæ, generantur Sol & Luna eorum. Hæc ille: Postea fit rubeus & incipit ire super aquas, hoc est, super metalla in igne liquefacta, quæ stant instar aquæ mercurialis: Est enim hic dominus aquarum, in quas imperium exercet, instar Neptuni, estque rex maris & possessor montium. De *Xerxe* Persarum rege tradunt, quod expeditionem moturus in Græciam, legationem instituerit ad mare & montem Athum, ne sibi injuriam facerent, illud fluctuum, hic flam̃arum æstu, aliàs se pœnam de utroque sumpturum esse. Verùm surdis narrata est fabula, & mare aliquot ex ejus navibus submersit, Athos verò incendio non paucas perdidit. Hinc iratus rex, tanquam maris & montium dominus, illi certum numerum plagarum infligi jussit, montis verò magnam partem in mare abjecit: Sed hæc magis audaciam, quàm prudentiam tanti regis demonstrant: Hic, de quo nobis sermo, omnes aquas ab obstaculis & immunditiis purgat non edicto, sed facto, & liberè per eas incedit, quas quoque (quod amplius est) congelat, ut currus suâ duritie sustineant, quæ antea tulêre naves: Ipse montes exæquat vallibus & flammas ignis non reformidat, ideoque quocunque vult, ab Herculis columnis in ultimam Indiæ oram, ad Dionysii columnas liberè contendit.

Ceres

Ceres Triptolemum, Thetis Achillem, ut ſub igne morari aſſuefecit, ſic artifex lapidem.

EPIGRAMMA XXXV.

RESpice Triptolemum, durumque in prælio Achillem,
Matre docente, æſtus ut didicére graves.
Illum Diva Ceres, Thetis hunc durabat in igne
Noctu, lacte ferens ubera plena die:
Haud ſecus aſſueſcat medicina beata Sophorum,
Qudm puer ad mammas, ut queat igne frui.

LYcurgus ille Spartanorum legislator, quantum consuetudo valeat, & usus sive bonus sive malus, oculari exemplo populo in theatrali concione exposuit, dum adduceret binos catulos uno enixu editos; inque medio poneret ollam pulte refertam ac leporem, quorum catulorum unus cùm videret cibum & leporem, eo relicto hunc insecutus est, quia ita assuefactus erat, alter verò neglecto lepore, ollam evacuavit, cùm & sic consueverat. Quo facto, en, inquit, hîc videtis, quantum valeat educatio, & à parvulis assuefactio etiam in illis, quos natura pares & similimos produxit. Hoc itaque modo naturam emendare, aut ad meliora dirigere convenit, quæ cærea est, ut in vitium vel virtutem facilè flecti possit. Quod ille in politicis verum demonstravit, Philosophi quoque in Physicis se ita habere consentiunt: In hominibus, brutis quantum consuetudo valeat, quotidiana exempla per totum visuntur mundum: In vegetabilibus quoque non pauca occurrunt: At in mineralibus & metallicis eadem dari, rarioris experientiæ est: Nihilominùs tamen lapidem suum fixant per assuefactionem in igne sibi conveniente, quemadmodum innumeris locis innuunt: Nutriendus enim est igne, tanquam puer lacte super ubera matris suæ: Unde dicit Emiganus, inspicite lactantem puerum, & ne impediatis eum: Et Bodillus, Fœtus autem extractus non nisi lacte nutritur, & igne per se & paulatim dum parvulus est, & quanto magis exuritur, ossibus confortatis, in juventutem deducitur, in quam perveniens, sibi sufficit. Et Arnoldus in Rosar. l. 2. c. 7. Oportet tamen ipsam medicinam diutiùs assari super ignem & nutriri instar pueri in uberibus. Hæc ead. antiquissimi Philosophi demonstrare voluerunt in allegoriis de Triptolemo & Achille sub igne assuefactis jacere & induratis, cùm uterque nil nisi chymicum subjectum denoter, præter quod insulsa esset fabula, indigna quæ vel aliis rebus moralibus accommodaretur, vel doctorum auribus inculcaretur: Ceres, veluti nutrix Triptolemum interdiu lacte nutrivit, noctu sub ignibus posuit, unde cùm puer optimè aleretur, pater Eleusius aliquando hoc observavit: Hinc Ceres Eleusium interemit, & puero Triptolemo

cui-

currum donavit, anguibus tractum, quo ille per aërem in omnes mundi partes contendit, & mortales frugum seminationem docuit: Sed hic Triptolemus tinctura est Philos. eo modo sub igne nutrita, quæ à serpentibus ducta, hoc est, Mercurio, docuit homines, quomodo semina Philos. in suam terram jacienda sint. Hæc eadem asscribuntur Osiridi, qui ideò terrarum orbem perlustravit, ut alibi demonstravimus, & Dionysio, qui vini usum homines docens peregrinatus est per mundum. Sunt verò hi tres Triptolemus, Osiris & Dionysius unius intentionis & officii, imò res una; ut etiam Achilles, qui fortissimus ad bellum Trojanum mittendus erat; Ejus pater Peleus, id est, terra, vel Peleus mons, mater Thetis dea marina seu aquarum; his nascitur Achilles: At in eorum nuptiis pomum aureum Eridos prolatum est, prima causa belli Trojani, unde ex iis nuptiis natus, non immeritò ejus executor extitit: Induratus verò eodem modo Achilles à matre sua dicitur, quo antedictus Triptolemus à Cerere; de quo lib. 6. Hieroglyph. satis diximus, quod hic repetere supervacaneum ducimus: Lapidis itaque nutrimentum ignis est, at non inde, ut quidam perperam existimare posset, in longum, latum & profundum, extenditur, neque in pondere incrementum sumit; quia saltem virtutem, maturationem & calorem ab igne acquirit, omnia reliqua, tanquam commeatus & viatica secum adferens. Quando enim ex diversis locis ejus partes sunt congestæ, purgatæ & conjunctæ, habet in se omnia, quibus indiget: Unde apud Rosarium Philosophus: *Omnia fert secum, quibus indiget hæc aqua fœtum.* Nec verò quicquam peregrini ab initio ad finem illi additur, nisi sit homogeneum, nec separatur, nisi heterogeneum: Quilibet autem animadvertere debet, uti dracones Triptolemi currui jungendos bene agnoscat, antequam quid incipiat, qui sunt alati & volatiles; quos si scire desideres, in fimo Philosophico invenies, sunt enim fimus, & generantur ex fimo, sunt-que illud vas, quod Maria dicit, non esse negromanticum, sed regimen ignis tui, sine quo nihil efficies. Veritatem tibi aperui, quam hausi incredibili labore, non absque sumptu multorum annorum, ex veterum monumentis.

Lapis projectus eſt in terras, & in montibus exaltatus, & in aëre habitat, & in flumine paſcitur, id eſt, Mercurius.



EPIGRAMMA XXXVI.

Vile recrementum fertur LAPIS atque jacere
Fortè viis, ſibi ut hinc dives inopsque parent.
Montibus in ſummis alii ſtatuêre, per auras
Aëris, at paſci per fluvios alii.
Omnia vera ſuo ſunt ſenſu, poſtulo ſed te
Munera montanis quærere tanta locis.

AB omnibus, qui lapidis nomen & potentiam vel ſemel audiverũt, niſi ſint ex penitùs incredulis, quæri ſolet, ubi inveniendus ſit, ut rectâ quaſi via ad eam currant? Reſpondent Philoſophi duplici modo: Primò quod Adam eum ſecum ex Paradiſo attulerit, quod ſit in te, in me, inque omni homine, quod volantes eum ſecum portent ex longinquis locis. Secundò, quod in terris, montibus, aëre & flumine reperiatur. Utri igitur viæ inſiſtendum, an huic, an illi? Utrique, ut opinor, ſed ſuo reſpectu; licèt hæc nobis magis arrideat & ſecurior videatur. In terras projectus dicitur, quia elementum terræ primò apparet in obſcuro & nigro corpore. Deinde, quia vilis, parvi pretii res ſit, quæ in viis peregrinantium & in ipſo ſimo calcatur. Unde Roſarius, etſi vero, inquit, nomine nuncuparem, inſipientes eum eſſe non crederent. Et Morienus Càlidi quærenti, an multùm de eo inveniatur, reſpondet: Non eſt hoc niſi, ſicut ſapiens dicit, ad divitem ſcilicet & pauperem, & ad largum & ad avarum, euntem quoque & ſedentem. Nam hoc in viis projicitur, & in ſterquiliniis ſuis calcatur, & multi jam in ſterquiliniis foderũt, ut hoc ab eis extraherent, & in hoc decepti ſunt. Mundus quoque in turba inquit, ſi venditores cognoſcerent eam, non venderent eam tam vili pretio. Et Arnoldus aſſerit, quod lapis gratis haberi poſſit, in tanta copia, qua quis velit, nec interrogandus quiſpiam ſit eam ob cauſam. Quæ omnia vera ſunt. Quis enim, niſi inhumanus, petenti aquam & terram denegabit? Cymbri antiquiſſimi à Romanis cùm eadem munera petiiſſent, nec obtinere poſſent, effuſis copiis Italiam ingreſſi multa millia Romanorum cum Conſulibus ſuis trucidârunt, ut hiſtoriæ teſtantur. Terra enim, ut mater omnium pretioſiſſima eſt, ut materia putrefactorum ultima, viliſſima; Nil vilius luto aut cœno, quod tamen nihil aliud eſt, quàm terra aquæ mixta. Quid gleba terræ communius? Attamen Euripylus Neptuni filius eam Heroibus Argonautis pro xenio obtulit, ex quâ non recuſatâ, ſed grato animo acceptâ, poſt diſſoluta in aqua Medea multa vaticinata eſt. Oportet enim terram in aqua diſſolvi, aliàs nec hæc, nec illa quicquam valet: Hoc modo lapis projicitur

in terras, in quibus tamen abjectus non permanet, sed exaltatur ad montes, utpote Athum, Vesuvium, Æthnam, & his similes flammivomos, quales in diversis orbis partibus permulti visuntur. In his enim ignis perpetuus ardet, qui lapidem sublimat, & ad summam dignitatem evehit. In montibus, ut crescit, in rudi forma ex sulfure & argento vivo, sic in montium vertice maturatur & perficitur, ubi & provenit herba, sine qua ignis temperari nequit; quia hac frigidâ & humidâ in ignem conjectâ ejus vehementia retunditur per sui contrarium: A montibus ad aërem transit, ubi habitationem invenit. Aër enim ipsi domus fit, quâ circumdatur, quod nihil aliud est, quàm quod portetur in ventre venti, nascatur in aëre, de quibus terminis antea dictum est. Tandem in fluviis pascitur hoc est, in aquis, Mercurius: Inde in ejus honorem Athienienses hydrophoria agebant, quia materia Philosophorum lapidis est aqua, ut Rosarius inquit, & intelligitur de aqua illorum trium. Quam ob causam Mercurius triceps quoque dicebatur, utpote marinus, cœlestis & terrestris, quia aquæ, terræ & aëri adesset. A Vulcano educatus traditur, furacitate insignis, quia Mercurius igni assuefieri docetur, qui volatilis est, & secum aufert id, cui miscetur. Ægyptiis leges & disciplinam, imò Thebanis quoque sacerdotibus & magnæ mundi parti, antiquitus religionem dictavit, quia à chymicis institutis Ægyptii politiam, & res sacras habuerunt, ab his Græci, ab his Romani, ab illis quàm plurimæ aliæ gentes, ut latiùs alibi demonstratum est. Argum saxo occîdit, seu lapide, & Battum in lapidem indicem convertit. Quid multis? Chymicorum volumina omnia nil nisi Mercurium inculcant, unoque hoc versiculo ejus potentiam satis confirmant; Est in Mercurio quicquid quærunt sapientes. Hic itaque quærendus erit, donec inveniatur, sive in aëre, igne, aut terra moretur. Vagus enim est, & nunc huc, nunc illuc currens pro Deorum chymicorum ministerio, tanquam illis à pedibus, quod officium ejus indicatur, dum Angelicam ipsi filiam nonnulli ascribant.

Tria

Tria ſufficiunt ad magiſterium, fumus albus, hoc eſt, aqua, leo viridis, id eſt, æs Hermetis, & aqua fœtida.

EPIGRAMMA XXXVII.

TErna magiſterii ſunt ſemina, fœtida Lympha,
Et niveus vapor, ac pelle LEO viridi:
Unda parens peperit, reſtant quæ elementa, Sophisque,
Ut lapidem faciant, ultima primaque ea eſt.
Æs Hermetis at eſt viridis LEO, petraque nota
Librorum capitlis, Fumus & albus aqua.

UT tria essentialia ad cujusque ædificii constructionem requiruntur, quorum uno absente, ejus nulla adesse potest perfectio, quæ sunt fundamentum, parietes & tectum, ita totidem desiderantur ad Philosophorum compositum absolvendum, quæ hic nominantur propriis suis nominibus: Author Auroræ, c. 20. de separatione elementorum loquens, Terra, inquit, ibidem relinquitur, ut alia tria elementa in ea valeant radicari; si ipsa non esset, elementa fundamentum non haberent ad ædificandum super id domum novam Thesaurariam: Hoc fundamentum vocatur hic aqua fœtida, quæ est mater omnium elementorum, teste Rosario, ex qua & per quam & cum qua præparant Philosophi ipsum, scilicet Elixir in principio & in fine: Fœtida dicitur, quia fœtorem sulphureum de se mittit, & odorem sepulchrorum: Hæc est illa aqua, quam Pegasus ex Parnasso ungulâ suâ percusso elicuit, quam Nonacris Arcadiæ mons ex jugis emittit è saxo prorumpentem, quæ in sola ungula caballina servari potest ob vim ejus fortissimam: Hæc est aqua draconis, ut Rosarius eam nominat, quæ debet fieri per alembicum sine omnia alia re addita, in qua facienda est maximus fœtor: quæ verba cum quidam audiverint, ad stercora distillanda humana vel animalium se contulerunt, in qua operatione fœtorem quidem maximum senserunt, sed stercora in stercoribus invenerunt: At ne putes Philosophos scarabæos esse, qui in stercoribus operentur, scias fœtorem, si quis adest, in magnam fragrantiam mox mutari, prout Lullius testatur de sua Quinta essentia, cui tantam odoris suavitatem assignat, si ritè facta sit, ut in superiori ædium loco posita aves volantes ad se allicitat & sistat: Ponit autem in fimo suam quintam essentiam, cujus calore temperatissimo ea fragrantia sequitur, quod quidam cum vino forti tentarunt, sed frustra, ideoque Lullium vanitatis insimularunt, cum ipsi essent stultitiæ potiùs coarguendi, qui vinum Lullii nunquam gustarunt? At Lullium aureus ille poeta melius intellexit, qui Chrysop. lib. 1. ita canit.

At non ille quidem sensit, quæ dicere prima
Est facie visus, neque tum stillantia vina
Miscebat, &c.

Post

Poſt aquam fœtidam Leo viridis occurrit: de quo Roſarius, quæſiviſti autem de viriditate, putans, quod æs eſſet corpus leproſum propter illam viriditatem quam habet: Unde enim tibi dico, quod totum illud, quod eſt perfectum in ære, eſt illa ſola viriditas, quæ in ipſo eſt: quia illa viriditas per noſtrum magiſterium vertitur citò in veriſſimum aurum noſtrum, & hoc experti ſumus: Nullo tamen poteris lapidem præparare abſque duenech viridi & liquido, quod videtur in mineris noſtris naſci: O benedicta viriditas, quæ cunctas res generas: Unde noſcas, quod nullum vegetabile atque fructus nullus apparet germinando, quin ſit ibi viridis color: ſimiliter ſcias, quod hujus rei generatio viridis eſt, quare Philoſophi germen ipſum appellaverunt. Hæc Roſarius: Hoc eſt aurum & æs Philoſophorum & lapis in capitulis notus, fumus, vapor & aqua, ſputum lunæ, quod Solis lumini jungitur; Hic leo viridis pugnat cum dracone? ſed ab eo ſuperatur & ſucceſſu temporis devoratur? putrefacto autem leone dulcedo ex ejus ore (velut à Sampſone occiſi) proventura ſperatur. Draco ſuperior factus leoninâ adeò ſe carne replet, ut paulò crepet & emoriatur: Ex quo, cum Leonis adeps per ſe quotidianis febribus medeatur, apudque reges & populos eo perunctis gratia & favor concilietur, Medicina præſtantiſſima fieri poterit, quæ permultis affectibus ſit utiliſſima. Tertio ſequitur fumus albus, qui ſi coaguletur, fit aqua, & aqua officium præſtat in abluendo, ſolvendo, & maculas abſtergendo inſtar ſaponis: Hic eſt ignis contra naturam, quem vide ut invenias, ita dictus, quia contrarius eſt naturæ retexendo & deſtruendo illud, quod ea diligenti curâ compoſuit: Hic ignis non eſt ex ſpiritu vini aut oleo incenſus, ſed ex materia incombuſtibili, æqualis perdurationis & caloris, & eſt ignis absque luce & combuſtione magnæ virtutis & efficaciæ, quem reperire in tenebris, cùm non luceat, eſt non exiguæ difficultatis, ſed operi debito applicare modo, longè majoris; cujus circumſtantias & proprietates in diverſis locis ſatis deſcripſimus.

Rebis,

Rebis, ut Hermaphroditus, nascitur ex duobus montibus, Mercurii & Veneris.

EPIGRAMMA XXXVIII.

REm geminam REBIS veteres dixêre, quod uno
Corpore sit mas hæc fœminaque, Andregyna.
Natus enim binis in montibus HERMAPHRODITUS
Dicitur, Hermeti quem tulit alma Venus.
Ancipitem sexum ne spernas, nam tibi Regem
Mas idem, mulierque una eademque dabit.

SO-

SOcrates interrogatus, cujas esset, Cosmopolitam seu mundi civem, respondit : Quo innuere voluit, se etsi Athenis natus sit quoad corpus, animo tamen totum mundum, tanquam patriam, inque eo contenta, liberè perlustrare, cùm sapienti omnis terra, ubi bene vivat, sit patria : Ita si quis Philosophos interroget, cujas sit Hermaphroditus eorum, respondent, mundanum esse seu in omnibus mundi angulis, ubi elementa inveniantur, prostare, nempe sapientum filium, qui cum ipsis patriam communem habeat : Verùm cùm non contingat, quendam bis aut pluries nasci, nec diversis, sed uno in loco primitus hanc lucem ingredi, veluti Socrates Athenienſis agnoscitur, ita Rebis duorum montium inquilinus censetur, videlicet Mercurii & Veneris, unde & nomen Hermaphroditi ipsi inditum ab utroque parente. Montani ipsi lares sunt, & patria excelsa, ideoque ex alto loco genitis existit. Est sanè non exiguum momentum ad res præclarè gerendas patria nobilis & ampla, in qua cives præferuntur exteris & promoventur ad officia publica, ne in obscuro delitescant, ut in humili loco contingit, atque sic aliquid lucis ex patria ad eos perveniat, at majus se propriis emergere virtutibus, etiam re angusta domi, & patriæ suæ de sese lumen præbere: Hunc ad modum montes hi incogniti quamplurib̃us ab Hermaphrodito famam acquirunt ob illius illustria facta & nomen toto orbe celeberrimum. Quis enim vel tantillum versatus in Philosophorum libris non agnovit Rebis; quis Androgynum bicipitem non vidit aut animadvertit; Hic equidem ad Indos usque innotuit & latius ejus fama, quàm vel Alexandri Regis, dispersa est. Permulti ad doctum aliquem virum, vel alias ob singularem industriam militarem, artem vel scientiam notissimum videndum & alloquendum ex longinquis oris proficiscuntur, multò autem plures ad Montes dictos Rebis sese conferent, dummodò sciant, ubi locorum offendendi sint : Quanto studio & cura Morienus Adferũ Alexandrinum Româ profectus indagaverit & tandẽ invenerit, ipse testatur in suo libro, ideoq; felicior æstimandus est, Deoq; gratus, quod à vivo præceptore & non à mutis magi-

magiſtris, hanc rem, hoc eſt, natalem locum, Rebis didicerit & coram viderit. Non minori aſſiduitate & diligentia uti debent illi, qui patriam Rebis ex ſeſe quærunt, ratione & librorum indicio edocti: Verùm libris etſi aliquando claritas ineſſe videatur, tamen eam magna obſcuritas undique cingit & obvelat: ut illa præ hac vix agnoſci aut diſcerni queat: Quocirca cautè in his procedendum, ne qui pro remedio concinnati, pro veneno uſurpentur: Certè Oceanus ſunt immenſus in quo errantes latitudinem ſeu æquatoris ſupra horizontem elevationem inſtrumentis aſtronomicis experti nautæ ſcire poſſunt, magente polum ſeptentrionalem oſtendente, ad longitudinem, ſeu quanto graduum intervallo â primo meridiano, inſulis Fortunatis proximo, abſint, nequaquam; Unde incerti ſunt, quo loco inter occaſum & ortum verſentur: Quid ergo hic faciendum? Quod iidem nautæ ſolent, Experientiam conſulere ratione, & ab ea diſcere iter longinquum determinare per ſigna particularia, promontoria, inſulas & alia, ne in ſyrtes & cautes incauti incidant: Ad hîc minus eſt periculum, ſi res non procedat, ſi verò ſic, majus lucrum, quàm ibi, ubi bona & vita perduntur in una hora: Eſt autem Mercurii Philoſophici mons non Nonacris, nec Atlas, ubi alias natus creditur, ſed bifido vertice Parnaſſus, in quorum uno Hermes, in altero Venus moratur: Hic quoque Apollo cum Muſis eſt, & fons Pegaſeus, Hippocrene; cum lauru ſemper virdi: Unus eſt mons nomine at re geminus, ut Hermaphroditus in uno corpore biceps & bimembris viſitur: At quis ex mille ad hujus montis cacumen contendere perſeverat? Quis non in radicibus hæreſcit præpeditus remoris neſcio quibus? Quotuſquisq; umbilicũ ejus mediũ attingit. Nam

Non levis aſcenſus, ſi quis petat ardua, ſudor
Plurimus hunc tollit, nocturnæ inſomnis olivæ
Immoritur, delet quod mox laudaverat inſe,
Qui cupit æternæ donari frondis honore.

Unde non mirum, ſi ſaltem unus ex Myriade Herculeos hoſce exantlet labores, ut pedem in vertice Montis figat, laureæque brabejo fruatur immortali, quo ut dociles, virtuti & literis dediti, bonæ mentis quicunque gaudeant, Grilli verò & vertagi fruſtrentur, unicè optandum eſt.

Oedy-

Oedypus Sphynge superata & trucidato Lajo patre matrem ducit in uxorem.

EPIGRAMMA XXXIX.

Sphyngem ænigmatico Thebis sermone timendam
Oedypus ad propriam torserat arte necem:
Quæsitum est, cui manè pedes sint bis duo, luce
Sed mediâ bini, tres, ubi vesper adest.
Victor abhinc Lajum nolentem cedere cædit,
Ducit & uxorem quæ sibi mater erat.

BAcaſſer Philoſophus in turba, quod quæritis inquit, parvi nequaquam eſt precii: Theſaurum enim maximum & munus Dei excellentiſſimum quæritis. Et cognoſcite, ô inveſtigatores, id quod Philoſophi dudum intimaverunt dicentes, quod rectum non niſi errore diſcernitur, & nihil magis dolorem cordi generat, quàm error in hac arte & opere. Dum enim quis putat, ſe feciſſe, mundum habere, nihil in manibus ſuis inveniet. Hæc eadem Philoſophi antiqui innuere voluerunt, Sphynge propoſita, quaſi ipſa artis obſcuritatem & tricas denotaret. Hinc Ægyptii in ſacris Iſiacis, quæ fiebant in honorem Oſiridis, â ſacerdotibus mitratis, raſis capitibus omnibus corporis partibus albâ talarique & lineâ veſte amictis, ut illa tecta plebique incognita manerent, Silentii ſtatua, quæ Sigalion dicebatur, in altaris principio erigebatur, favere linguis jubebantur aſſiſtentes, & oculos ad eam imaginem convertere, eandemque ob cauſam Sphyngum ſimulachra ad altaris angulos addebant, quæ arcanam rerum ſacrarum cognitionem denotabant; ut ex veteribus Boiſſardus demonſtrat: Eſt enim Sphynx monſtri quædam ſpecies obſcuriſſima, Thebanis proponens ænigmata, nec ſolum illis, ſed ut priùs Ægyptiis, ita poſt omnibus aliis ad artem aſpirantibus, inque Philoſophorum lib. tanquam ante portas Thebarum excubat; quod ſi aliquis monſtrum prætereat, nil mali ab ipſo patitur, qui verò animi vel ingenii audacia fretus ejus ænigmata diſſolvere conetur, niſi id faciat, excidium ſibi parat, hoc eſt, dolorem cordi & damnum rebus ſuis ex errore in hoc opere. Qui ejusmodi allegorica ad hiſtoriam refert, fungum habet pro cerebro & peponem pro corde, ut ait Comicus, & non plus ſapit, quam qui delirat in recto tramite. Nimis puerilia ſunt & aniculis digna, ſi ad literam capiantur, aliàs profundæ doctrinæ tecmiria & indicia. Dicuntur quidem feræ monſtroſæ in Africa eſſe Sphyngum nomine, ſed de illis hîc non disquiritur, etiamſi hujus fictitiæ origo & denominatio ab iis deſumpta videatur. Sphynx Philoſophica ſermonem humanum, utpote græcanicum, intellexit & uſurpavit, nec non gryphos ſubtiles & ænigmaticas quæſtiones, in quibus intelli-

telligentiæ & doctrinæ ſingulare acumen apparet, aliis hominibus quibuscunque non ita obviam (à quo bruta longiſſimè abſunt) propoſuit. Talia eſſe Philoſ. dogmata, qui ſaltem in illis verſatus eſt, facilè intelliget. Ubi enim unum dicitur, & alterum intelligitur, ibi æqui vocatio errorem parit, quot ſolis Philoſophis non ſolùm conceſſum, ſed & imperatum eſt. Ænigmatibus itaq; Sphyngis Thebarum civitate diu vexatâ tandem Oedypus quidam adfuit, qui ita ad quæſtiones oblatas reſpondit, ut ipſa ſphynx è ſaxo ſe deturbare coacta ſit. At quis Oedypus; Regis Thebanorum filius, quo nato cùm patri ab oraculo prædictum foret, ipſum à filio occiſum iri, Oedypum interfici juſſit, qui cum fune per pedes trajecto ad arborem ſuſpenſus ac derelictus eſſet, ab alio ruricola liberatus & educatus; Hic adultior factus pedes quidem tumidos obtinuit, at vegetum ingenium ante omnes in hujus ænigmatis à Sphynge propoſiti enodatione ſatis declaravit. Feruntur autem quamplurima Sphyngi fuiſſe ænigmata, ſed hoc præcipuum, Oedypo objectum: Manè quadrupes, meridie bipes, veſpere tripes quid eſt? Quid reſponſum ſit ab Oedypo ignoratur; ſed alii ad hominis ætatem interpretati ſunt, qui falluntur. Nam quandrangulus ſeu quatuor elementa omnium primò conſideranda ſunt, hinc ad hemiſphærium (duas habens lineas rectam & curvam) hoc eſt lunam pervenitur albam, abhinc ad Triangulum qui conſtat corpore, ſpiritu & anima, ſive Sole, luna & Mercurio: Hinc Rhaſis in Epiſt. *Lapis*, inquit, *Triangulus eſt in Eſſe, quadrangulus in qualitate.* Huc quoque ſpectat emblema vigeſimum primum, ejusque expoſitio. Eſt autem Oedypus parricidio & incæſtu notatus, quæ duo ſunt teterrima vitia, quæ unqum excogitari poſſunt, at nihilominùs cum ad Regnum (aliàs ſibi debitum) promoverunt; quia patrem de via ſibi cedere nolentem occîdit, & reginam, Laji conjugem, propriam matrem in uxorem duxit. Sed hoc nulli pro hiſtoria, nec exemplo imitando ſcriptum eſt, cùm à Philoſophis ſaltem ad aperienda doctrinæ ſuæ arcana fictum & allegoricè introductum ſit. In hoc enim opere utrumque contigit; quia efficiens primum, id eſt, pater, à ſuo effectu, id eſt, filio, è medio tollitur & profligatur, & poſt idem effectus efficiens ſecundum ſibi copulat eò uſque, donec unum fiat cum eo, & ſic filius matri ſuæ copulatur matrimonio, potiturque Regno paterno armorum, conjugii & ſucceſſionis, quaſi triplici jure. Tumidos habet pedes, quia currere non poteſt, & eſt veluti urſus, ut habet ſecretum maximum, aut bufo, lento incedens gradu; quia fixum eſt figens aliuds & ignem non fugiens aut reformidans, quo licet vili medio Philoſophi maximè egent.

Ex duabus aquis, fac unam, & erit aqua sanitatis.

EPIGRAMMA XL.

Sunt bini liquido salientes gurgite fontes,
Hinc Pueri calidam suggerit unus aquam:
Alter habet gelidam, quæ Virginis Unda vocatur,
Hanc illi jungas, sint aquæ ut una duæ:
Rivus & hic mixtas vires utriusque tenebit,
Ceu Jovis Hammonii fons calet atque riget.

Tot

TOt & tanta ſunt aquarũ miracula, ut vix magno volumine comprehẽdi poſſint, de quibus ſparſim varii egerũt authores. Sed præ omnibus duæ aquæ Philoſophicæ celebrantur eo nomine, quod quaſi cæterarum omnium vires & proprietates non tantùm æmulentur, ſed quoque ſuperent. Sybaris, Axus Macedoniæ, Melas Bœotiæ, fluvii, nigras reddunt pecudes, ſi bibantur; Crathis verò, Clitunnus Mevaniæ & Cephiſus, fluvii ex nigris albas. Aquæ Sinueſſanæ in Campaniæ regione ſterilitatem utriusque ſexus abolent. Afrodiſius fluvius mulieres ſteriles facit: Cabura fons Meſopotamiæ aquam habet jucundè olentem; Anygri aqua in Peloponneſo admodum fœtet: Jovis Hammonii fons die friget, noctu calet, manè & veſperi tepet alternis vicibus. Reliqua ne moremur, omnia etiam contraria ſibi invicem à Philoſophorum aquis præſtantur. De quibus Lullius lib. de Quinta eſſent. diſtin. 3. de inceratione; Et ſic eſt, inquit, duplex conſideratio in arte, ſcilicet compõnere ex una natura unius metalli duos liquores contrarios in compoſitione, unum, qui virtutem habeat fixantem, congelantem & indurantem, & alterum, qui ſit volatilis, infixus & mollis: Iſte verò ſecundus liquor induratur, fixatur & congelatur per primum: Ex quibus ambobus liquoribus reſultat unus lapis congelatus fixus & induratus, qui habet virtutẽ congelandi non congelatũ, indurare mollificũ & mollificare durũ. Ex quibus apparet quæ ſint aquæ illæ binæ, & cur in unã aquã redigẽdæ: Lapis enim aqua dicitur, quia fũditur, & vice verſa, aqua lapis, quia teritur. Verùm ex locis diverſis hæ aquæ ducuntur, interdum longo tractu, velut Romæ videre eſt circa Aquam Virginis alioſque fontes factitios, & deinde per confluxum miſcenda ſunt, ut una fiat ex duabus. Si enim una eſt virtutis calidæ & altera frigidæ, commixtæ mixtas vires obtinebunt & miro modo ſe invicem temperabunt: Hinc aquæ medicatæ & thermæ præſtantiſſimæ orientur quæ omnis generis morbos & affectus profligabunt, hominemque firmæ ſanitati reſtituent. Natura quidem occulto ſuo compoſitionis artificio multas aquas terræ gremio cum diverſis minerarũ virtutibus confundit

fundit & miſcet, quæ plurimis ægris ſint ſalutiferæ, ſed ſi ars accedat cum debito regimine, præmiſſis univerſalibus aliiſque præmittendis, & miſceat inter ſe miſcenda, compoſitio illa longè efficacior erit. Quæ quamvis artificialis videatur, eſt tamen merè naturalis, quia res fit una & ſimplex, homogenea ex diverſis, quæ arte nunquam fieri poteſt. Crama quidem & confuſio arte cauſatur abſque naturæ ope, non vera & naturalis unio, quæ à ſola fit natura : In Theriaca variorum ſimplicium eſt mixtio artificialis, quæ per contritionem & fermentationem fit, at nemo eam naturalem compoſitionem, multo minùs homogeneum Medicamentum affirmabit, niſi temerè : De ſubſtantiarum mixtione artificiali conſtat, quod non per minima ſe invicem ingrediantur, quamvis humana induſtria iterùm ab invicem diſcerni ac ſeparari nequeant. At de qualitatum omnium mixtione diſquiritur, num primæ omnium ſimplicium Theriacæ, in unam Quintam eſſentiam tranſierint, an verò adhuc in ſuis pulveribus vel ſubſtantiis, ut prius, ſint velut accidentia in ſubjecto vel color in pariete; Ac deinde quid de ſecundis & quartis qualitatibus dicendum? Probabile eſt omnes qualitates in ſuis propriis adhuc hærere ſubjectis, nec vera naturali mixtione inter ſe componi; alias ſi qualitates corpora ſua relinquerent, eſſent quatuor quintæ eſſentiæ in quolibet compoſito artificiali, juxta numerum ordinis qualitatum, primarum, ſecundarum &c. abſque ſuis corporibus, & ſeparabiles; quod ita ſe non habet. De coagulo leporino ſcribunt, quod in fluxu à tenuitate ſanguinis, eum ſiſtat & quaſi coagulet, in coagulatione verò & grumis eundem incidat & reſolvat; ſic aceti, plumbi & multorum aliorum ſunt contrariæ operationes pro diverſo eorum uſu, quia natura ita mirabiliter ea miſcuit: ſic & aqua Philoſophica diverſas & contrarias habet virtutes: quia natura ex contrariis artis adminiculo eam miſcuit in unam indiviſibilem ſubſtantiam, quæ nihil aliud eſt niſi

Quinta eſſentia, reſpectu aliorum cum ea miſcendorum.

Adonis

Adonis ab apro occiditur, cui Venus accurrens tinxit Rosas sanguine.

EPIGRAMMA XLI.

EX patre, Myrrha suo pulchrum suscepit Adonim,
Delitias Cypriæ, quem nece stravit aper.
Accurrit Venus & pede læsa cruore ruborem
Contulit ipsa rosæ, quæ prius alba fuit.
Flet Dea (flent Syri, luctus communis in orbe est)
Illum lactucis mollibus & posuit.

ADonidis allegoriam quâm impropriè quidam ex mythologis explicent,& eum nunc ad Solem,aprum,à quo occisus est, ad Brumam hirsutam, nunc ad semina frumentorum, quæ 6. mensibus apud Proserpinam subtus terram,& totidem supra terram apud Venerem sunt, referant, alibi satis expositum & refutatum est à nobis. Hic solem esse Philosophicum sub Adonide intellectum cum concordantia omnium pronunciamus: Unde Versiculus:

Omnia sunt idem, Dinoysus, Sol & Adonis:

Et Orpheus: qui vario lætaris nomine Adoni,

Germinum & idem author, pariter puer atque puella:

Quæ omnia de Sole cœli nullo modo intelligenda sunt, sed de Philosophico; Hic enim utrumque sexum exprimit, ille non item: Sic & Dionyso & Soli idipsum tribuunt, quod Adonidi, & è contra, quemadmodum & Osiridi. Adonis verò ab Apro interimitur, hoc est, ab aceto acerrimo seu aqua solutiva, cui aprugni & fulminei sunt dentes, quibus Adonidem stringit; quia Sol Philosophicus ab eo apro lethaliter vulneratur, in membris solvitur & discinditur; At Venus amasio suo opem ferre conatur, qui cùm esset mortuus, inter lactucas eum posuit & custodivit. Eundem ad modum Osiris à Typhone occiditur, & in varias partes dissecatur, quas Isis, Osiridis conjunx, recollegit & conjunctas sepulturæ tradidit. Idem luctus, qui mortem Osiridis in Ægypto quotannis secutus, & Adonidis in Syria & vicinis regnis sequebatur; ubi per aliquot dies planctus & ejulatus auditus, post data sunt lætitiæ signa & tripudia, quasi ille, qui mortuus fuisset, jam denuò viveret illatus cœlo: Unde vanitas eorum religionis seu superstitionis Ethnicæ oborta est, quæ crevit in immensum, Diabolo præbente occasionem, falsaque miracula procurante. Natus fuit Adonis ex Cinyra (ut fingunt) Cypri rege, ejusque filia Myrrha, natus dicitur incœstu, si historia spectetur, nefario, si allegoria, non illicito, sed inprimis necessario. Nisi enim ex matre & filio, vel ex patre & filia, fiat conjunctio, indeque nascatur, nihil in hac arte perficitur. Hic enim, quo conjuges sint sibi invicem sanguine propinquiores, in primo gradu consangui-

ſanguinitatis, vel ſecundo, eò ſunt fœcundiores & èconverſo, quo remotiores, eò infœcundiores, quod in hominum matrimonio tolerabile non eſt. Hinc Oedypus propriam matrem ducit, Jupiter ſororem, ſic & Oſyris, Saturnus, Sol, ſervus rubeus, Gabritius; De Adonide Sol (in metaphora Belini apud Roſarium) hoc eſt, de ſe ipſo ita loquitur: *Scitote, quod pater meus Sol dedit mihi poteſtatem ſuper omnem potentiam, & induit me veſtimento gloriæ: Et mox. Ego enim unicus ſum & aſſimilor patri meo, &c. ſervos meos extraho de potentia & natura eorum, & induo eos de ſplendore & lumine meo pulchro quem dedit mihi pater meus, in omnibus operibus eorum: Ego enim ſum excellens, qui exalto & deprimo cuncta, & nullus ſervorum meorum poteſt ſuper me, niſi unus, cui datum eſt, quod contrarius eſt mihi. Et ipſe deſtruit me, non tamen deſtruit naturam meam. Et ipſe eſt Saturnus, qui ſeparat omnia mea membra: Poſtea vado ad matrem meam, quæ congregat omnia membra mea diviſa & ſeparata: Ego ſum illuminans omnia mea, & facio lumen apparere patenter in itinere de patre meo Saturno, & etiam de matre mea, quæ mihi inimicatur.* Hactenus dicta adeò clara ſunt, ut vel mediocriter in lectione authorum verſato tenebras à mentis oculis diſcutiant, & lucem ſolarem patefaciant, quæ in concordantiis adductis rerum & perſonarum abundè perſpicitur. Nam quæ vera ſunt, etiamſi ſub velo allegoriæ tecta, miro inter ſe ſuffragio conſentiunt, quæ falſa, ſecum cumque aliis pugnant, & in diverſa abeunt:

In Chymicis verſanti Natura, Ratio, Experientia & lectio, ſint Dux, ſcipio, perſpicilia & lampas,

EPIGRAMMA XLII.

Dux Natura tibi, tuque arte pediſſequus illi
Eſto lubens, erras, ni comes ipſa viæ eſt.
Det ratio ſcipionis opem, Experientia firmet
Lumina, quo poſſit cernere poſta procul.
Lectio ſit lampas tenebris dilucida, rerum
Verborumque ſtrues providus ut caveas.

Caſus.

CAsus, qui peregrinantibus accidere possunt, innumeri sunt, præsertim si pedibus noctu per loca lubrica & periculosa iter facere instituant: ad quod quatuor tanquam summè necessaria requiruntur, ne de viatico & robusto corpore quicquam dicamus: Primò locorum, per quæ eundum erit, non ignarus comes aut dux: Si enim ignarus ignarum duxerit, idem iis quod cæcis contingit, ut si non in foveam, tamen in errores & ambages ambo præcipitentur: Secundò, baculus vel scipio, quo viæ lubricitas, ne cui damnosa sit, præcavetur: Tertiò, oculi sani; cæcis enim aut lippis ejusmodi itinera sunt periculosissima: Quartò lampas sive fax incensa; ut discrimina viarum dignosci possint. Eodem modo si quis difficillimo se committat itineri, ut Medicinam Philosophicam indaget, præter sumptus & corporis robur, quaterna desiderabit ante dictis parallela & correspondentia ex æquo, videlicet Naturam, Rationem, Experientiam & lectionem: quorum si unum aut alterum defuerit, reliqua parum aut nihil juvabunt: Hisce enim, tanquam quatuor rotis currus Philosophicus incedit, cui ex rotis una deesse nequit, si supersit, nil prodest. Natura præsupponit corpora naturalia, & spiritus, tanquam subjecta primo à natura ministrata, in quæ ars postea agat id præparando, purificando & habile reddendo ut de eo id fieri possit, quod ars pro fine promittit: Sic figulus sumit aquam & terram, vitrarius cineres & arenam, faber ferrum, æs stannum, plumbum, argentum vel aurum, coriarius pelles crudas & sic alii alia: Ita quoque chymiæ artifex ad sua materialia respicit: Illis sua sunt notissima vel primo die, huic per multos annos, cùm incipit, plerumque ignota manent, ne dicam, per totam vitam. Natura quidem digitum intendit in materias, sed multa sunt, quæ impressionem naturæ obscurent, ut agnosci nequeat. Prima itaque intentio est, naturam intimè contemplari, quomodo procedat in suis operationibus eo fine, ut subjecta Chymiæ naturalia absque defectu aut superfluitate haberi queant: Unde natura sit dux & comes tanti itineris, cujus vestigia sequenda sunt. Secundò Ratio sit instar scipionis, qui firmet gressus & pedes stabiliat, ne vacillent; Absque

ratiocinatione enim quis ad lapsum in errores erit proclivis, Unde dicunt Philosophi; Quicquid audis, ratiocinare, num ita esse possit, nec ne. Ad impossibilia enim credenda vel peragenda nemo impellitur, nisi ipse debilis memoriæ, obtusi ingenii & fatuæ imaginationis, ut sibi imponat falsa pro veris accipiendo & vera pro falsis renuendo: Ajunt quoque se non curare de verbis, quicquid dicatur, sed saltem de rebus, quid intelligatur; Et verba esse propter res & non res propter verba. Exempli gratia, dicat quis, tincturâ Philosophicâ vitrum fieri malleabile. Quid ni hoc credidero, si modò ratio dictet? Tertiò Experientia dabit perspicilia, quibus remota videri possint; Hæc sunt instrumenta optica imbecillitatem oculorum humanorum juvantia & corrigentia, arte inventa & facta. His persimilia sunt Experimenta circa mineralem materiam cujusque generis tentata, visa vel verè audita; quæ quò plura fuerint in memoria, eò plura ratiocinatio inde sumet, & inter & cum aliis comparabit, ut animadvertat, quid sit verum, quid non. Quartò Lectio quasi lampada perspicuam in intellectu incendat, sine qua erunt ubique tenebræ & densæ nubes. Debet autem lectio bonorum authorum sæpe iterari; aliàs nihil proderit. Hinc Bacasser in turba: *Qui* ergo inquit, *longanimis erit, libenterque patientiâ fruitur, in tramite justo hujus artis meabit, qui verò citius se putat ex libris nostris fructum capere posse, fallitur satiusque fuerat, non inspicere quidem, quàm nunquam contigisse.* Et quæ ibidem sequuntur.

Audi

Audi loquacem vulturem, qui neutiquam te decipit.



EPIGRAMMA XLIII.

Montis in excelso consistit vertice vultur,
Assiduè clamans; Albus ego atque niger,
Citrinus, rubeusque feror nil mentior: idem est
Corvus, qui pennis absque volare solet
Nocte tenebrosâ, mediâque in luce diei,
Namque artis caput est ille vel iste tuæ.

Loqua-

LOquaces ſeu vocis humanæ æmulas volucres, videlicet Pſittacos, corvos, monedulas, & picas quotidiè paſſim audimus. Sic Plinius ſuo tempore, quo hiſtoriam edidit, Agrippinam Claudii Cæſaris uxorem habuiſſe turdum, ſermones hominum imitantem, ſcribit. Habuerunt & Cæſares juvenes ſturnum & luſcinias Græco latinoque ſermoni aſſuefactas, & aſſiduè nova loquentes longo etiam verborum filo. Cumque ejusmodi non raræ occurrant aves, minùs admiratione dignæ nunc cenſentur, ſiquidem uſus & aſſuefactio omnes volucres latiori lingua præditas hoc modo vocales & garrulas reddere poſſit. Verùm vultur ille, cujus Philoſophi mentionem faciunt, voces, ſi quas edit, non ex uſu didicit, ſed eas natura ipſius tacitè exprimit. Philoſophi verò dicunt, quod aſſiduè clamet, altaque voce pronunciet, quis ſit & qualis, in quo magnos imitatur principes, qui titulos ſuos & hæreditates ſemper in initio ſuarum intimationum innoteſcere volunt, non ſuperbiæ alicujus notâ, ſed aliorum cauſa, ut & ipſi ſciant, quibus principatibus dominentur, aut jus hæreditarium prætendant. Sic multum intereſt, ut agnoſcatur, quibus coloribus, tanquam armorum & titulorum inſignibus, Philoſophica avis gaudeat, & cæteras antecellat. Ego, inquit, ut Roſarius habet ex Hermete, ſum nigrum albi, & Citrinus rubei, & certè veridicus ſum & non mentiens. Nigrum ſe adfirmat, album, citrinum & rubeum, & talis revera eſt, etſi enim tres ultimos colores actu nondum poſſideat, tamen hæreditatem eorum expectat. Hinc Roſinus in lib. divinarum interpretationum; Recipe, inquit, lapidem, qui eſt niger, albus, rubeus, citrinus, avis mirabilis, qui nigredine noctis, & diei claritate ſine alis volat. Ex amaritudine namque in ſuo gutture exiſtente, coloratio accipitur, à ſuo verò cruore mera aqua accipitur, ſicut dixit Alexander: Recipe lapidem quatuor colorum fili. Colores hoſce omnes, qui ſunt principales, ſucceſſio ordine adeſſe lapidi, ad nauſeam Philoſophorum libri dictitant. Cur verò Vultur appelletur Philoſophicum ſubjectum, non abs re erit. Ex vulturibus nigri prævalent, rapaces ſunt, ſed tardè volant, propter corporis molem. Ajunt hanc avem concipere ſine maſculo-

maſculorum ſemine, & ſine conjunctione generare, natosque ex iis in multam ætatem procedere ad annum usque centeſimum. Nidificant in altis rupibus, nidos nemo attigit. Fœtus ferè cernuntur bini: Auxilio ſunt contra ſerpentes. Euro gravidæ fiunt. Cùm cœperunt ova edere, aliquid adferunt ex Indico tractu, quod eſt tanquam nux, intùs habens, quod moveatur, ſonumque ſubinde reddat, quod ubi ſibi appoſuerunt, multos fœtus producunt, ſed unus tantum remanet, qui IMMUSULUS vocatur. Hermodorus Fonticus apud Cœlium teſtis eſt, vultures eſſe omnium animalium innocentiſſimos, quia nihil prorſus attingant eorũ, quæ ſerant homines, plantent, alant. Animantium præterea nullam interimant. Voluçriuus quoque vel mortuis abſtineant, quodam cognationis intellectu : Hinc in auguriis præſtantiſſimi habebantur ut indicant Urbis Romæ primordia. Has vulturum proprietates ferè omnes cùm Philoſophicus ales exprimat, hinc non immeritò vultur ab Hermete aliisque appellatur, qui & tardus in volatu & niger colore eſt, Concipit ex ſeſe : Sic enim Roſarius circa finem; *Et ipſe eſt draco, qui maritat ſeipſum & imprægnat ſeipſum & parit in die ſuo. &c.* Et Roſinus adſarratant: *Et ipſum eſt ſerpens ſeipſum luxurians, ſeipſum imprægnans & in die una parturiens, &c.* Diutiſſimè vivit & ſupereſt, ſeque multiplicat. Quod enim Virgilius de Phœnice ave ſcripit, huic æquè (quia eadem eſt) convenit:

Alipedem cervum cervus ter vincit, at illum
Multiplicat novies Phœnix reparabilis ales:

Hujus nidos attingere valdè difficile eſt: cum ſerpenti mercuriali pugnat eumque vincit, hoc eſt, Sol cum luna. Ex vento concipitur & in ventre ejus portatur & in aere naſcitur. Ætites lapis lapillum habens intra ſe ſonantem, à multis totum dicitur. Unus ſaltem immuſulus in nido Philoſ. invenitur. Innocentiſſima quoq; avis eſt Philoſ. quia nulli nocet, omnibus ſcientibus prodeſt, & in auguriis præſtantiſſima. At cur in monte nidificat, & ſedens ita clamat? Reſpondet Roſinus ex Raſi, qui inquit : *Contemplare altiſſima montana, quæ ſunt à dextris & à ſiniſtris, ac aſcende illuc : Ibi lapis noſter invenitur, & in alio monte qui fert omne genus pigmentorum, & ſpiritus vel ſpecies, ibi ſimiliter eſt: Morienus: Conſcendite alta montana, arboribus conſita quia ibi lapis noſter invenitur & abſconditus eſt: Et Hermes: Recipite lapidem benedictum, comminuite & lavate lapidem rubeum, de quo extrahitur, qui invenitur in montibus & maximè aliquando in cloacis veteribus.*

Dolo Typhon Osyridem trucidat, artusque illius hinc inde dissipat, sed hos collegit Isis inclyta.



EPIGRAMMA XLIV.

Syria Adonidem habet, Dionysum Græcia, Osirim
Ægyptus, qui sunt nil nisi SOL Sophiæ:
ISIS adest soror, & conjux ac mater Osiris,
Cujus membra Typhon dissecat, illa ligat.
Defluit at pudibunda mari pars, sparsa per undas,
Sulphur enim, SULPHUR quod generavit, abest.

Osyridis

OSyridis allegoriam alibi, nempe in 1. lib. Hieroglyphicorum ad ſuam veram originem, quæ Chymica eſt, reduximus & plenariè explicavimus. Quocirca hic eadem repetere (quamvis eadem de iisdem dici debeant) ſupervacaneum arbitramur. At nihilominùs diſcurſum hic inſtituemus parallelum, qui intra carceres Antiquæ Chymiæ (quæ tota poëtis decantata & figurata eſt) ſemper verſabitur & manebit. Oſyridem tu mihi Deum, aut regem Ægyptium perſuadebis? Non credam, etiamſi perſuaſeris, ut credam: Longè aliter enim canes, longè aliter (ut eſt in proverbio) ſues olent: Deum planè nego, & tu mihi aſſentieris, niſi ſis Ethnicus aut diſtortæ à recta ratione opinionis. Regem nec fuiſſe, demonſtratur ex circumſtantiis omnib. quæ alibi conſiderantur: Sol eſt, ſed Philoſ. cujus nomen cùm illi paſſim attributum legatur, vulgares, qui nullum alium niſi mundanum illud lumen noverunt, pro eo interpretati ſunt. A ſole mundi ſol Philoſophorum denominationem habet, quia proprietates naturæ ab illo ſole cœleſti deſcendentes, aut ei convenientes, continet. Sol itaque Oſyris eſt, Dionyſius, Bachus, Jupiter, Mars, Adonis, Oedypus, Perſeus, Achilles, Triptolemus, Pelops, Hippomenes, Pollux. Luna verò Iſis, Juno, Venus, mater Oedypi, Danaë, Deidamia, Atalanta, Helena: Item Latona, Semele, Europa, Leda, Antiope, Thalia. Atque hæ ſunt compoſiti partes, quod ante operationem lapis dicitur, & nomine omnis metalli, Magneſia: poſt operationem, Orcus, Pyrrhus, Apollo, Æſculapius. Adjuncta ſunt, Typhon, Python, Aper: Artifex Hercules, Ulyſſes, Jaſon, Theſeus, Pyrithous: Labores & pericula innumera, quæ ab his artificibus exantlata fuere. Videantur Herculis labores, Ulyſſis errores, Jaſonis pericula, Theſei conatus, & Pyrithoi remoræ. Magnum hoc eſt materiæ & doctrinæ volumen, per quod Vulcanus, Mercurius & Saturnus omnibus paginis currunt & recurrunt, hic ut pater omnium & cauſa, ſine qua non, ille, ut materia & forma, iſte, ut efficiens. Sol ducit ſororem lunam in uxorem. Jupiter Junonem, ut Saturnus Rheam, & Oſyris Iſidem: Dionyſus ex matre Semele combuſta fulmine Jovis eripitur, imma-

turandus in femore Jovis patris, Æsculapius ex Coronide matre: Dionysius adultus novam vini potionem monstrat hominibus usque in Indiam expeditionem suscipiens; Osiris & Triptolemus, frugum seminationem & usum, Æsculapius, medicinæ administrationem: Dionysus Græcis sic dictus, Romanis Bacchus est, Ægyptiis Osiris, Syriis Adonis. Oedypus patrem occîdit, & matrem duxit; Perseus avum interemit, Typhon fratrem Osirim, aper Adonim, Ceres nutrix Triptolemi patrem ejus Eleusium; Hippomenes pomo aureo Atalantam vicit, Tantalus pater Pelopis Hippodamiam curruli certamine obtinuit. Osiris in partes dissectus & ab Iside matre, forore & conjuge iterum conjunctus fuit. Pelops puer coctus & bullitus humero à Cerere depasto vitæ restitutus, addito humero eburneo: Achilles & Triptolemus sub carbonibus noctu positi, & interdiu lacte nutriti sunt, hic à Cerere nutrice, ille à Thetide matre: Achilles & Helena Trojani belli causæ fuerunt, hæc ut impulsiva, ille ut efficiens; Helena nata exovo est, & in Pelei & Thetidis nuptiis, ex quibus Achilles natus, pomum Eridos, prima causa raptus Helenæ, projectum fuit. Pollux adfuit Argonautis, qui quinquaginta ferè annis ante bellum Trojanum inceptum vixisse præsupponuntur, (si vixerint) & Helena cum Polluce ex uno ovo prodiit; Fuit tiaque anus Helena, cùm raperetur à Paride: Achillii in Elysiis campis Medea nupsit, tum anus edentula: nisi fortè sibi juventutem restituit, ut Æsoni, Jasonis patri, & Ceres Pelopi, unde bis pubescens appellatur: Perseus alatum equum accepit à Pallade, eique caput Medusæ in remunerationem attulit, cui Mercurius harpen, & alii Dii alia arma ministrârunt, Triptolemus à Cerere currum cum draconibus alatis: Ex Jovis cerebro Pallade nata Rhodi pluit aurum, ut & Sole concumbente cum Venere; Et Jupiter, ut aurum compressit Danaen, ut Cygnus Ledam, ut cuculus sororem Junonem; ut Taurus Europam, ut Satyrus Antiopen, & sic concordantia est in omnibus.

Sol

Sol & ejus umbra perficiunt opus.



EPIGRAMMA LXV.

SOL, fax clara poli, non corpora densa penetrat,
Hinc illi adversis partibus umbra manet:
Vilior hæc rebus quamvis est omnibus, usu
Attamen Astronomis commoda multa tulit:
Plura Sophis sed dona dedit SOL, ejus & umbra,
Auriferæ quoniam perficit artis opus.

QUemadmodum in Palatio rotundo seu formæ sphæricæ, uno loco ignis incensus illustrat circum circa omnes parietes superiores & inferiores partes, exceptis iis, ubi mensa vel tabula in medio consistens suo objectu impediat, & umbram tenebrosam admittat, ita & sol in magno illo cœli palatio sive Theatro cœlato constitutus omnem cœli concavitatem, contenta in eâ diaphana & lucis receptiva corpora, hoc est, stellas quascunque, errantes & fixas, radiis suis illuminat, nisi ubi Terræ intermediæ densitas prohibeat: Ibi enim umbra nigra & tenebrosa, quæ nox dicitur, tam diu permanet, donec solis præsentiâ fugetur & lux ejus vice fundatur & conspiciatur. Est itaque umbra & nox solaris lucis privatio seu absentia, dies econtra irradiatio & circumfusio. Umbra est, quæ solis aspectum tolerare nequit, idcirco fugiens & se abscondens nunc ab hac, nunc ab illa parte terræ, prout sol est ex opposito. Nunquam Sol & umbra se invicem viderunt, quamvis, si natura admitteret, possent; sed sol ut inimicam sibi audiens semper illi insistit fugienti, nec unquam defessam capere potest, ut pulchrè Buchananus in libro sphærico cecinit. Ad imitationem & exemplum magni illius solis, ejusque umbræ, Philosophi observârunt & suo soli adesse umbram nigram, nebulosam & fugacem: Hinc Hermes, Fili, inquit, extrahe à radio suam umbram, hoc est, vide ut solem tuum circumducas per primum mobile, cui Vulcanus præficitur, ut & illa Terræ tuæ pars, quæ nunc umbrosâ nocte tegitur, clarâ fruatur luce solari: Nisi enim per motum primum totum Firmamentum cœli cum omnibus contentis singulis diebus naturalibus, hoc est, viginti quatuor horis semel circumduceretur, sed saltem motu suo proprio, secundo & annuo dicto Sol moveretur, qui infra nos sunt Antipodes, ferè semestri temporis spatio noctem habere & nos diem unum contingeret, & post vice versa illos diem & nos noctem: ut sic totus annus ex una nocte & die constaret, veluti nunc sub utroque polo hæ vices experimento & ratione verissimæ comprobantur. At providentiæ Divinæ longè aliter visum fuit, quæ ideò duplices motus ordinavit planetarum,

primum

primum & ſecundum, & ſic annum in multos dies diſtribuit: Umbra autem illa & ſol diem & noctem faciunt ſimul, quod ſol per ſe ſolus non poſſet, cujus eſt illuminare omnia oppoſita loca & corpora, non autem umbram facere, niſi per accidens ſuâ abſentiâ. Ita & Sol Philoſophicus cum ſua umbra facit diem, hoc eſt, lucem & noctem ſeu tenebras, nempe Latonam ſeu magneſiam, cujus umbram ignito pharmaco delendam & comburendam eſſe tradit Democritus, ut lib. 3. Aureæ menſæ patet in initio. Umbrarum utilitas in Aſtronomicis adeò magna eſt, ut ſine iis illa ſcientia abſolvi vix poſſit, Chymici quoque ſuis umbris aſſcribunt, quod eorum ars ad perfectionem veniat; Quid enim Sol hic ſine umbra? Quod piſtillum ſine campana: Illud quidem facit motum primum, ut ſonitus detur, at hæc dat ſonitum; illud eſt plectrum, hæc organum; illud lingua, hoc os magnum: Umbra res viliſſima eſt, non Enti proxima, ſic & Philoſophorum umbra eſt quid nigrum nigrius nigro, ut vocant, vel vilius algâ, non propter ſe, ſed hominum opinionem & copiam; Igne quid utilius, quid aqua pretioſius, quid terra amabilius, quæ dat flores & amabilia omnia? quid aëre jucundius, quo intercluſo, omnia jucunda eſſe deſinunt: Attamen, quia proſtent ad hominum uſus in latè patentibus ſuis ſphæris, viliſſima cenſentur, præpoſterâ imagnatione. Sic & umbra taxatur & communis & Philoſophica; Qui in umbris ſubterraneis diu degunt, ſi in claram ſolis lucem ſubitò producantur, amittunt viſum & aciem oculorum; Ita qui in ſola umbra Philoſophica morantur & operantur, nec ei ſolem adjungunt, judicio & oculis mentis privantur: effectuque fruſtrantur. In meridiem ſole cœleſti elevato major eſt calor, eſt & minor umbra; ſic quoque hic calore aucto diminuitur umbra & èconverſo; Incipiendum itaque ſole à meridionali latere ad noſtrum verticem ſe iterum flectente, in Capricorno; & prima operatio uſque ad Arietem erit abſoluta, tum incipit opus mulierum, uſque ad Leonem; & poſt labor ex labore provenit, donec annus capite caudam apprehendat, ut anguis, hoc eſt, abſolutus ſit.

Aquilæ

Aquilæ duæ, una ab ortu, altera ab occaſu conveniunt.

EPIGRAMMA XLVI.

JUpiter è DELPHIS aquilas miſiſſe gemellas
Fertur ad Eôas Occiduasque plagas:
Dum medium explorare locum deſiderat Orbis,
(Fama ut habet) Delphos hæ rediêre ſimul.
Aſt illæ lapides bini ſunt, unus ab ortu,
Alter ab occaſu, qui bene conveniunt.

Apollinem

APollinem antiquiſſimum ex Vulcano natum, Athenarum cuſtodem tradit Cicero lib. de natura Deorum. Quæ quidem opinio, ſi ut debet, ad allegoriam transferatur, eſt veriſſima; Quia Vulcanus Solem Philoſophicum qui Apollo eſt, producit. Sed prævaluit, quod ex Jove natus ſit; Cùm verò Latona utero geſtaret gemellos Apollinem & Dianam, quos ex Jove conceperat, Juno Zelotypa Pythonem horrendæ vaſtitatis ſerpentem immiſit, qui gravidam proſequeretur & vexaret. Muliere miſera poſt diutinos errores tandem navigio delata in inſulam Ortygiam, ad ſororem ſuam Aſteriem, quæ in ea regnabat: Cùmque ea inſula ferè tota mari inundaretur, parturienti Latonæ locum dedit, unde Delus dicta, quæ Ἄδηλος erat antea. Ibi igitur enixa pueros; prima prodiit ex utero Diana, eaque ſe obſtetricem matri in partu fratris Apollinis laboranti præbuit; Unde factum eſt, ut prægnantes in puerperio ejus Numen invocarent, eamque vel Lucinam vel Ilithyiam vocaverunt, quod lucem natis infantibus apertis eorũ oculis oſtenderet: Apollo igitur natus, & adultus Pythonem matris vexatorem ſagittis confecit & Cyclopes occîdit, quod fulmen Jovi fabricaſſent ad interficiendum ejus filium Æſculapium, quem Jupiter fulminatum ad inferos detruſit, propterea quod Hippolytum ab equis diſcerptum in vitam reſtituiſſet. Hæc eſſe merè Chymica, multis in locis demonſtravimus. Latona enim, Cynthia, Apollo & Python, ſunt requiſita artis, quæ eo modo ſe habent invicem, ut narratum eſt. Cum verò hæc ab antiquiſſimis poëtis, ut Orpheo, Lino, Muſæo, Homero, ſcriptis vulgata eſſent, apud ignaros occaſionem religioni & venerationi Apollinis præbuerunt. Hinc in multis locis Europæ & Aſiæ cultus eſt Apollo, eique erecta templa innumera. Præcipuè vero Delphis antiqua religione venerandum habuit templum, in quo ſtatuæ plurimæ ex auro ſolido & argento magni ponderis & artificii à regibus & Principibus repoſitæ erant, cum aliis donariis precioſiſſimis, quæ ab omnis ſtatus hominibus religionis cauſa in ſacrariis recondita erant. Pauſanias refert ſceleton aheneum artificii admirandi appenſum

penſum tholo templi fuiſſe ab Hippocrate. Apollini quoque ſacratus fuit ille celebris tripes, à Pelope, dum uxorem Hippodamiam duceret Oenomaï regis Elidis filiam, quem Tripodem fabricârat Mulciber & Pelopi donaverat. Hic in medio templi erectus erat, in quo inſidens Pythia afflatum Dæmonis erumpentis è profundo hiatu excipiebat, quo correpta vaticinabatur, & reſponſa dabat ſciſcitantibus rerum futurarum eventus. Fuere autem Delphi in Bœotica ad radices Parnaſſi ſiti. Templo vicinus fuit fons fatidicus, Caſſiotis, cui ſi faces ardentes admoverentur, eas extinguebat: ſi procul eſſent remotæ, ſubitò accendebantur, & flammas concipiebant. Ejusque fontis aqua pota vim vaticinandi præbebat; ſed tamen brevioris vitæ reddebantur ejus aquæ potores. Cùm itaque concurſus fieret ex omnibus Europæ, Aſiæque partibus ad oraculum Delphicum, poëtæ eum locum, nempe Parnaſſũ eſſe in medio terræ fabulati ſunt; idque ab exemplo Jovis probarunt, qui duab. aquilis emiſſis id experimentatus fuerat: Verùm cùm hæc res hiſtoriæ fide non nitatur, non à veritate alienum eſt, eam chymicis aſſcribere, præſertim cùm totus Apollo, ut dictum, ſit chymicus origine, licet dæmon poſtea hominum ſuperſtitionem ſub eo nomine confirmârit & vaticinia dederit. Duæ aquilæ ſunt duo lapides, ex quib. unus ab oriente, alter ab occidente venit; quod Philoſ. multis modis demonſtrârunt. Illas Jupiter emiſit, utpote ſuas armigeras. Aquila autem Apollini ſeu Soli amica videtur, quia pullos ſuos probat ad Solem, quem ſi ſuſtinere nequeant, ut degeneres exludit. Ejus pennæ aliis reb. conſertæ dicuntur non putreſcere, & aliarum avium pennas devorare, facilè inaurationem admittere. Non ſenio, nec ægritudine moritur, ſed fame. Creſcens enim roſtri ſuperioris aduncitas impedit, ne cibum queat capere; quâ abjectâ in fontem ter ſe mergit, eoque modo redire fertur ad juventutum. Hinc Pſalmographus: Renovabitur, ut aquilæ, juventus tua. Ex volatilib. nunquam fulmine tangitur. Pugna eſt illi in draconem qui propterea ejus ova conſectatur: Quæ omnia ejus naturæ munera cauſam præbuerunt, cur Philoſ. aquilam in arte ſua prædicent, eique lapidem aſſimilent, cujus rei cùm innumera exempla in libris eorum ſint obvia, hîc plura non adferemus.

Lupus

Lupus ab Oriente & Canis ab Occidente venientes se invicem momorderunt.

EPIGRAMMA XLVII.

Hinc, ubi Sol oritur, Lupus advenit, ast ubi Ponto
Mergitur, inde canis, qui duo bile tument:
Hunc is, & hic illum, stimulante furore momordit,
Et rabidus rictu visus uterque fuit.
Sunt gemini hi lapides, gratis qui dantur ubique
Omnibus atque omni tempore, quos teneas.

PHiloſophi multis in locis duorum meminêre lapidum gratis nobis datorũ, ut Iſaac, Arnoldus & alii, inter quos Avicenna dicit eos in ſtercore jacere abjectos, neglectos vulgò, qui ſi conjungantur, perficiant magiſterium: Quidam attollunt Mercurium occidentalem, qui prætulit ſe auro & illud vicit: Verùm omnium optimè Author conſilii conjugii ſolis & lunæ ex Ariſtotelis Epiſtola binos deſcribit lapides, ubi dicit: *Quod hujus artis duo ſunt lapides principales, albus & rubeus mirabilis naturæ: Albus in occaſu ſolis incipit apparere ſuper facies aquarum, abſcondens ſe uſque ad mediam noctem, & poſtea vergit in profundum: Rubeus verò ex oppoſito operatur, quia incipit aſcendere ſuper aquis in ortu ſolis uſque ad meridiem & poſtea deſcendit in profundum.* Hi itaque lapides ſunt antedictæ aquilæ à Jove Delphis emiſſæ; Hi quoque ſunt lupus & canis, ex diverſis ſeu oppoſitis terræ plagis venientes, quorum unus momordit alterum, & ambo rabioſi facti ſunt, veluti teſtatur Rhaſis in Epiſtola: Hi lapides ſunt verſſimum Bezoar ex quibus præſtantiſſimum mittit India Orientalis ex ferarum ventre depromptum, aliud ſed minoris efficaciæ dat India Occidentalis, Peruana, ex cicuribus acceptum; Sic oriens dat lupum atrociſſimum, occidens canem hominibus familiarem, hoc eſt, Sulphur ab Eoo, Mercurius ab Heſperio tractu venit; ex quibus hic mollis & tractabilis, illud cholericum & iracundum exiſtit: Qui duo quà primum ſe invicem offendunt, in mutuos morſus incidunt: Canis verò magnitudine inſignis primam victoriam obtinet proſtrando lupum & ſemianimẽ reddendo: At lupus vires recolligens poſt canem dejicit eique dejecto inſtat uſque ad internecionem; Interim non minora vulnera nec minus lethalia, quam intulerat cani, ab eo recipiens, donec ſe mutuis conficiant & interimant morſibus: De lupo *Roſinus* ad Euthiciam, inquit, *quod ſit miles victor duorum roboratus multi precii & intenſiſſimi roboris, pervorans corpora, cum iis obviat, & eſt albus apparitione, rubeus experimento, eſtque mas qui lunam duxit in uxorem, quem nonnulli putant aurum eſſe precioſiſſimæ connexionis, cujus congelatum nunquam diſſolvitur, neque veſtigia delentur, quod Deus ſanctis Philoſophis & electis largitus eſt: Scito, quod natura cepit com-*

comparem ut inimicum. Hæc ille. Et mox, *quod ſulphur*, inquit *fortiſſimum eſt & adverſus ignem pugnans quod continetur: Ex his namque conjunctis color prècioſiſſimus exit, & nunquam poteſt ſulphur, quod naturaliter fugit, poſtea fugere, eo quod perforavit illud anima ſimiliter & perforavit & mixta eſt animæ tinctura corpori, & corpus animam continuit & naturale fugere prohibuit. Et deinde quærenti, quis lapidum ſit fortior, reſpondet: Lapis qui non eſt lapis fortior eſt altero inimico: rubrũ verò eſt fortius illo quod ſua fortitudine ſocios roboravit.* Lupus itaque Orientalis fortior eſt cane occidentali, quamvis victoriæ non potiatur effectu, ſed una cum inimico ocidat: Ex utriſque verò fit venenum tingens: Differentia inter lupum & canem exigua eſt, cùm moloſſus ſeu prægrandis canis lupinam formam & ſpeciem oſtendat, ita ut lupus origine, ſed longa progeneratione cicur factus videatur: Eodem modo ſulphur & mercurius parùm differunt inter ſe; quia illud ex hoc, vel hic ex illo ortum ducat: Mercurius quidem ſulphur genuit, at ſulphur Mercurium purgavit & talem reddidit: De his idem *Roſinus*, dum quærit *Unde veniat ejus color? reſpondet, ex ejus intenſiſſima amaritudine*: Et illa: *Unde venit ejus amaritudo & intenſio?* reſpondet, *ex ejus metalli impuritate*: Et illa: *nunquam ejus color rubeus ſupereminet?* reſpondet: *Etiam*: Et illa: *nunquam etiam eſt igne calidior?* reſpõdet: *ignis ad reſpectum illius eſt tanquam aqua ad reſpectum ignis.* Et illa: *Igne nè eſt fortior?* reſpondet *non.* Et illa: *Quare ergo aſſeris, eum igne eſſe fortiorem*: reſpondet, *eò quod ignibus ſibi ipſis obviantibus alter alterum comedit.* Patet itaque quod alter alterius alimentum fiat & cibus, & quantum uni decreſcat, tantum alteri accreſcat, donec accreſcens prævaleat & draco ſerpentem devorârit: In magnis præliis ſæpè contingit, ut ſtragem majorem paſſi campum & victoriam obtineant; Ita & canis quamvis proſtratus non tamen victus occubuit omnino, cùm hoſtem adeò ſtrictè teneat, ut ille abſque hoc vivere, nec hic abſque illo mori poſſit.

Rex ab aquis potatis morbum, à medicis curatus ſanitatem obtinet.

EPIGRAMMA XLVIII.

Dîvitiis populisque potens Rex fontis amavit,
Portari à ſervis quas ſibi poſcit, aquas:
Has bibit & rebibit venas mox inde repletus
Diſcolor à claris ſuſcipitur medicis;
A quibus ut purgatus erat ſudoribus, alvo,
Oreque, mox tincta eſt utraque mala roſis.

XErxes ille potentiſſimus Perſarum rex, cùm per ſicca & inculta loca ſub æſtu exercitum duceret, ſitibundus hauſtum aquæ turbidæ â quodam milite oblatum non reſpuit, ſed gratiſſimè bibit, portantemque id donarii munere ampliſſimo ornavit. Et ſanè ſi quis hoc ipſo tempore (ut quorundam hiſtoriæ recentiſſimæ teſtantur), per fines Perſiæ peregrinetur, rariſſimè fontes aquæ dulcis invenire dicitur, cùm aquæ ſtagnantes ſint ſalſæ, ac ipſum ſolum in ſuperficie ſalſedinem offerat copioſiſſimam: Eo modo Rex, cujus meminerunt Philoſophi ſiti vexatus, mandavit aquæ dulcis ſibi copiam fieri; quam allatam bibit ad ſatietatem; velut ex Merlini allegoria cuivis conſtat. Curatio regis ægri & diſcolorati ſuſcipitur à medicis diverſis: Ægyptii ſuis medicinis propinatis moverunt humores adhuc crudos, quos Hippocrates priùs concoctos purgari debere aſſerit, niſi ſint fluxibiles & vagi: Tum enim mox educendi ſunt, ne in partes aut viſcera nobiliora fortè impetum faciant & ruant. Hinc regi ſymptomata periculoſa, utpote lipothymia & ſyncope obvenerunt. Alexandrini verò medici, poſtremò advenientes in morbo chronico, feliciores ſunt habiti, qui regem priſtinæ ſanitati reſtituerunt. Tanto mederi regi eſt operæ pretium, qui medico ſuo ſanus factus benevolam præbet manum & faciem ſerenam. Legimus multorum curationes optimè fuiſſe recompenſatas à regibus diverſis, ut Democidis â Polycrate Samiorum tyranno talentis duobus, Eraſiſtrati (quem Plinius ſcribit, fuiſſe diſcipulum Chryſippi, ex Ariſtotelis filia genitum.) propter Antiochum regem, ex amore Stratonices novercæ ægrum ſanatum, centum talentis à filio ejus Ptolemæo, ut Jacobi Cocterii, medici Galli regis Ludovici II. à quo quatuor millia coronatorum ſingulis menſibus pro ſtipendio accepit, aliorumque recentiorum non faciamus mentionem; ſed hujus regis ſanatio adhuc longè majori mercede aut præmio recompenſatur. Ita enim apud Roſarium Hermes & Geber; Qui hanc, inquiunt, artem ſemel perfecerit, ſi deberet vivere mille millibus annis, & ſingulis diebus nutrire quatuor millia hominum, non egeret. Hoc confirmat Senior, dicens:

Eſt

Eſt ita dives habens lapidem, de quo Elixir fit, ſicut qui habet ignem, poteſt dare ignem, cui vult & quando vult, & quantum vult ſine ſuo periculo & defectu. Democriti pater adeo dives fuit, ut exercitui Xerxis Epulum dederit, & Pythius quidam opulentiſſimus obtulit eidem ſtipentium totius exercitus & commeatum ad menſes quinque, ſi modò unum ex quinque filiis, natu minorem, qui ſuæ ſenectutis eſſet ſolatium, ne in caſtra regia ire cogeretur, domi retinere liceret; ſed barbarus rex indigniſſimè petitionem Pythii ferens, juſſit minorem natu filium in duas partes diſſectum palis utrimque ad viam regiam adfigi, per quam totus exercitus tranſiturus erat, ut annotat Sabellicus lib. 2. Ennead. 3. Sed horum divitiæ nihil ad opes hujus Regis, quæ ſunt abſque dimenſione & numero. Hunc ſanatum & ab aquis liberatum Reges omnes, & potentes aliarum regionum honora verunt & timuerunt. Et quando volebant videre de mirabilibus ejus, ponebant in crucibulo unciam unam Mercurii bene loti, & projiciebant deſuper tanquam unum granum milii de unguibus vel de capillis aut ſanguine ſuo, & ſufflabant leviter cum carbonibus, dimittebant eum infrigidari cum eis, & inveniebant lapidem, qualem ſcio. Hic eſt ille, cujus Bernhardus Comes meminit, quod ſex ſuis aulicis tantundem regni det, quantum ipſe poſſidet, ſi modò expectent, donec ipſe in balneo juventutem recuperârit, & veſtibus variis, nempe thorace nigro, induſio albo & ſanguine purpureo ornatus ſit; tum enim ſingulis de ſanguine ſuo daturum; ipſosque ſuarum divitiarum participes facturum ſe pollicetur.

Infans

Infans Philosophicus tres agnoscit patres, ut Orion.

EPIGRAMMA XLIX.

Fabula narratur, Phœbus, Vulcanus & Hermes
In pellem bubulam semina quod fuerint;
Tresque Patres fuerint magni simul ORIONIS:
Quin Sobolem Sophiæ sic tripatrem esse ferunt:
SOL etenim primus, Vulcanus at esse secundus
Dicitur, huic præstans tertius arte pater.

MUlieres, quæ ſe variis proſtituunt viris, rarò ſobolem vivacem concipiunt ex confuſione diverſorum ſeminum: Natura enim in generatione hominis & animalium plerorumque non admittit ſuperfœtationem, niſi fortè rariſſimè: Hinc ex unico patre & matre proles quæcunque naſcitur, ſive ſit una aut plures, ut quoque ex hiſtoriis & eventu aliter judicantium patet, inprimis Margaritæ illius Hermanni Comitis Hennebergiæ uxoris, quæ anno 1276. trecentos & ſexaginta quinque enixa eſt pueros, quorum omnium baptiſatorum, & maſculorum, Johannis, fœminarum Eliſabethæ nomine vocatorum, poſt demortuorum ſepultura in Lauſdunenſi templo, uno miliari diſtante Haga Comitum verſus mare, in Hollandia, adhuc cum pelvi ærea, in qua baptizati ſint, & inſcriptione hiſtoriæ, adhuc viſitur: cauſam dicunt, quod Comitiſſa videns pauperculam mulierem gemellos in ulnis geſtare, eam adulteram vocârit, quaſi impoſſibile ſit, ut plures liberi uno conceptu ex uno viro, ſed ex diverſis, neceſſariò ederentur: Unde imprecatione facta à paupere, quæ ſe ab eo crimine puram noverat, quotquot dies in anno ſunt, tot ipſa concepit in utero uno tempore & ex uno viro. Miraculum hoc quidem eſt, at naturale opus, quod ex divina ultione contigit: In opere autem Philoſophico quod alias naturæ adverſum eſt, facilè admittitur ſub allegoriæ veſtimento: Hic enim unus fœtus tres dicitur habere patres vel etiam binos, ut & matres. Hinc Raymundus, ut citat Roſarius, noſter, inquit, infans habet duos patres & duas matres: & quia ipſe charè nutritus eſt ex tota ſubſtantia inigne, propter quod nunquã moritur: Ita Dionyſus ſeu Bacchus bimater appellatur, quem immaturum combuſtâ matre ex ejus ventre eripuit & femori ſuo inſuit, ut pater mater factus ſit: Sed hæc magis declarantur in Orionis conceptu, qui ex Apollinis, Vulcani & Mercurii commixtis ſeminibus in pelle bubula incluſis per x. menſes, natus dicitur: Monſtroſa hæc eſſent omnino, non tantùm fabuloſa, niſi arcanum naturæ ſub his involucris lateret, non omnibus obvium. Lullius in Theorica teſtamenti eidem fœtui Philoſophico tot & ferè eoſdem attri-

attribuit patres, nempe Solem, qui eſt Apollo ſive Sol cœleſtis eſt primus hujus generationis author, qui virtute ſua inenarrabili & occulta ſeu aſtrali operatur in materiã quandam Philoſophis notam, tanquam in matricem mulieris, in eâque producit filium ſeu fœtum ſibi ſimilem, cui poſtea ſua arma & inſignia virtutum, paterno jure, tradet & relinquet, hoc eſt, immatura maturandi & non tincta nec purgata, tingendi & purgandi potentiam: quicquid enim Sol in mille annis perficit, hoc filius ejus in dimidia hora præſtabit; Propterea ut vis millecuplo fortior in eo fiat quàm in Sole, pater eum Vulcano in diſciplinam tradit & artifici ſimul, ut ab his ejus generoſa indoles excolatur & viribus multiplicetur; ſiquidem conſtet à teneris aſſueſcere multum eſſe. Sic Achilles Jaſon, Hercules Chironi erudiendi fuêre traditi eandem ob intentionem. Milo enim Crotoniata, qui puer vitulum geſtavit, vir bovem ſuſtulit ex conſuetudine. Non injuriâ autem, præter Solem, Vulcanus & artifex hujus pueri vocantur patres, quia primus ut eſſet, hi ut talis & tantus, effecerunt: Nec verò æquivalens didactron magiſtris ſolvi poteſt ob inſtitutionem, ut nec præmium parentibus ob generationem. Hi corpus, illi animum concinnant. Si animus potior eſt corpore, nec illis minor referenda eſt gratia, quàm his. In Orionis verò ortu Mercurius materiam, Apollo formam, & Vulcanus calorem ſeu efficientem cauſam exernam præbuit. Sic quoque in opere Philoſophico fieri convenit, ut tres patres in unam ſobolem conſpiraſſe videantur, in qua Philoſophorum ſint delitiæ.

Draco mulierem, & hæc illum interimit, ſimulque ſanguine perfunduntur.

EPIGRAMMA L.

ALta veneno ſo fodiatur tumba Draconi,
Cui mulier nexu ſit bene vincta ſuo:
Ille maritalis dum carpit gaudia lecti,
Hæc moritur cum qua ſit Draco tectus humo.
Illius hinc corpus morti datur, atque cruore
Tingitur: Hæc operis ſemita vera tui eſt.

Draco-

DRaconum manſio in cavernis terræ eſt, hominum vero ſupra terram in aëre proximo; quæ duo ſunt elementa contraria & jubentur à Philoſophis conjungi ut actio unius in aliud fiat: Per mulierem vero alii intelligunt, ut Baſilius clave 2. *Non enim utile eſt*, inquit, *aquilæ nidum ſuum in alpibus ponere: Nam pulli ejus præ frigore nivis in ſummitate montium morerentur: Quodſi verò aquilæ draconem frigidum, qui ſuam habitationem in petris longo tempore habuit, & ex terræ ſpelũcis prorepit, addas, amboſq; in infernalem ſellã ponas, tum Pluto ventum afflabit, & ex frigido dracone igneum ſpiritum volatilem eliciet, qui ſuo magno calore aquilæ pennas cumburet, ac ſudorificum balneum excitabit adeò ut nix in ſummis montibus colliqueſcat, & aqua fiat; quo mineralile balneum bene præparetur, & regi fortunam ac ſanitatem tribuat.* Admirabile ſanè eſt, quod draco frigidus ſpiritum ignem de ſe mittet; Id tamen verum eſſe experientia declarat in ſerpentibus combuſtis, qui flammam venenoſam aſſiſtentes inficientem emittunt. Nec fruſtrà dracones theſaurorum chymicorum cuſtodes flammivomi dicuntur, ut aurei velleris, hortorum Heſperidum, Cadmi, & his ſimiles. Degit autem hic draco in anguſtis petrarum ſubterranearum locis, quem ibi capere oportet, & aquilæ ſeu mulieri adjungere, huic in ſepulchro, illi, ſi mavis, in nido: Natura enim draconis eſt aliàs, ut inſidietur ovis aquilinis, cumque aquila internecinum bellum gerat. Draconem aliquando amaſſe puellam, cumque ea concubuiſſe, ex Græcis ſcriptoribus ſunt, qui tradunt. Quid mirum igitur, ſi Philoſ. velint, draconem ſuum cum muliere in una caverna concludi debere? Greverus dracones rubeos & nigros in imâ montis voragine conjungit, igneque adurit, & pereuntibus nigris, dicit montis cuſtodem undiquaque illos conquirere, & in montem inferre. Merlinus in ſua viſone (niſi illa ſit ſuppoſititia) mentionem facit draconis albi & rubei; Hi dracones, quicunque ſint, ſive una ſit mulier, ſeu draco fœmina, in ſe invicem agunt, donec utrique moriantur, & ſanguinem emittant ex vulneribus, quo perfunduntur. Intelligitur verò hîc per draconem elementum terræ & ignis, & per mulierem,

lierem, aëris & aquæ; Unde Clangor buccinæ dicit, *quod draco est materia in fundo remanens post distillationem aquæ ab ea:* Et ex Hermete: *Aqua aëris inter cœlum & terram existens est vita uniuscujusque rei. Ipsa enim aqua solvit corpus in spiritum, & de mortuo facit vivum & facit matrimonium inter virum & mulierem. Et enim totum beneficium artis facit:* De terra quoque inquit: *Et intellige adhuc, quod ista propria terra quam calcamus, non est verum elementum, imò est elementata à suo vero quinto elemento: Nec recedit quinta substantia elementalis à suo corpore elementato, de quo terra est formata.* Et mox. *Sed in centro terræ est virgo & elementum verum, quod ignis non poterit ardere: Hic est draco, de quo loquimur, in centrum usque terræ se insinuans, ubi cùm magnus sit calor æstum flammeum intra se concipit, quo mulierem seu aquilam comburit.* Mulier verò vel aquila, aqua est aëria; quam nonnulli aquilam albam seu cœlestem vocant, & ex Mercurio vulgari, vel salibus sublimatis conficere satagunt, sequentes in eo ductum quorundam cæcorum in hac arte, lynceos se simulantium; Sed amen dico tibi, inquit *Bernhardus* Comes in Epist. *quod nulla aqua naturali reductione speciem metallicam dissolvit, nisi illa, quæ permanet ei in materia & forma, & quam metalla ipsa possunt recongelare:* Et mox. *Nec corporibus pertinet aqua in solutionibus, quæ iis in congelationibus non permanet:* Et paulo post: *Amen dico tibi, quod oleum naturas naturaliter incerans & conjungens ac naturaliter introducens medicinam in alia corpora tingenda, non componitur ex alio extraneo, sed tantùm ex visceribus corporis dissolvendi.* Aquila itaque & mulier, necnon draco ac totius ferè artis arcana hoc percepto, intelliguntur, quæ fortè nimis aperto naturæ gremio hactenus doctrinæ filiis exposuimus & declaravimus, ut hinc DEO SIT GLORIA.